

2012

2193

117

~~XIII b. 69, 28~~

R

ESTICA

A-10688

~~A. 1093.~~

DK

HISTORIA BEL-
LI LIVONICI QVOD
MAGNVS MOSCOVITARVM
DVX, CONTRA LIVO-
NES GESSIT.

Per

TILMANNVM BREDENBA-
CHIVM CONSCRIPTA.

*Vnà cum breui narratione praecclare eius victoria
qua paucis abhinc mensibus Litvani vicissim,
contra Moschouitas potiti fuerunt.*




ANTVERPIAE,

Ex officina Gulielmi Silvij, Regij Ty-
pographi, An. 1564.

BIBLIOTHE-
CAE
ACADEM-
ICAE
DORPAT.

GVLIELMVS SILVIVS

TYPOGRAPHVS CANDIDO
LECTORI.

 Vm nō ita pridē vir quidam clarus & mihi cū primis amicus, narrationē insignis cuiusdā aduersus Moschouitas victoriae magnorū virorū litteris cōfirmatam cōmunicasset, nolui facere quin illā tibi è vestigio typis nostris ad calcē huius libelli excusam exhiberē, vt vna mecū Deo Opt. Max. gratias agas, si non quantas ipsius meretur bonitas, certē quantas nostra agere & debet & potest imbecillitas, qui pro immensā sua bonitate dignatus est, post tot tantasque acceptas ab immanissimo hoste clades, populum suum recreare, & ineffabili misericordia cōplecti. Ad hęc non parum interest nostrorum mercatorum qui eas Liuoniae oras assidua nauigatione frequentare consueuerunt, nosse atque explorata habere quid illic memorabile superioribus annis actum sit, quo item loca res hoc tempore nunc sint constitutae. Postremo vt omnia essent illustriora & veluti ob oculos singula posita esse viderentur, à Geographo non contēnendo partem illius orbis gnaphice depictam in aë incidimus, quę omnia eo quo à me dantur animo vt benignē accipias etiam atque etiam rogo, Vale.

Est. unq.
M. Raamatukog.

6419

24675460x

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI

AC DOMINO, D. IVLIO

Plugh, Episcopo Naumburgensi,
Domino suo Clementissimo.



Vm superioribus diebus certas ob causas Louanio in Cliuiam reuocarer, Reuerendissime Praesul, & praeter expectationem ibi diutius haerendum esset, conuenit me Venerandus vir D. Philippus Olmen Ecclesiastes Resensis, petens vt belli Liuonensis paucis retrō annis à Magno Moschouiorum Duce contra Liuones gesti, historiam conscribere non grauarer, quam ipse nō sine graui suo damno, dolore, ac discrimene spectauit, & vt Poeta verbis utar, quāq; ipse miserrima vidit, & quorum pars magna fuit. Erat enim circā annum quinquagesimum primum, Torpatum in Liuoniam accersitus, vt in Cathedrali Ecclesia publicum Ecclesiasticum munus obiret, eoq; persunctus est, donec Moschouius Princeps expugnata vrbe, capto Episcopo, profligatis Catholicis aut Moschouiticam religionem recusantibus, coniuersam prouinciam Torpaten-

A 2

paten-

patensem innaderet, vastaret suūque ingū subire cogeret. Equidem mea tenuitatis conscius, tantum laborem, qui exercitatum aliquem Rhetorem requirebat, non potui non vehementer deprecari: eoq; magis, quod diuersa negotia paulo post me illinc essent auocatura, ut iustum scribendi tempus nequaquam suppeteret. Attamen ne historia à tam multis hactenus desiderata, Rempublicam fraudare viderer, rem aggregior, & paucos post dies qualitercunque absoluo. Cum autem partim ob solennem consuetudinem, partimq; ob maleuolorum nasutulorumq; calumnias, querendus mihi esset Meccenas & Patronus, qui sui nominis & auctoritatis clypeo, calumniantium iniquitatem auerteret, Tua Reuerendissime Praesul Amplitudo, & veneranda auctoritas cum primis animo meo obuersabatur. Videbam enim Tuam Reuerendiss. Amplit. inter precipuos Germania praesules, & maiorum imaginibus, & pietatis virtutumque splendore, & admirabili eruditione, variarumq; rerum multiyuga experientia mirifice praesulgentem. Huc accedebat, quod non obscurum mihi erat, Tuam R. A. tanto studiosum variarumq; lectionum ardore flagrare, ut etiam in hac veneranda tua senecta, nequidquam de quotidianis studiosum laboribus remittere sustineas. Quin & enixè in hoc contendis, ut publicum gymnasium, in quo Theologia cum bonis literis

teris

teris & pietate doceatur, in tua prouincia erigas. Qua tam sancta tua industria, unà cum alijs laudatissimis praesulibus summam omnium bonorum laudem & applausum emeris, qui omnes uno ore paribusq; votis illud Nestoris tibi exoptant & precantur. O tibi prateritos referat si Iupiter annos: aut si illud humanarum rerum ordo vetet, felicem, florentem, & longeuam senectam à Deo consequaris. En igitur Reuerendissime Praesul, hunc meum laborem tuo clarissimo nomini dedicatum & consecratum offero, orans & obsecrans, ut tenue hoc munusculum, tanquam certum mea erga tuam Amplitud. obseruantia testimonium & pignus clementer suscipere non dedigneris. Quem quidem laborem, si grandibus ampullis, & verborum phaleris, vel (qua magis expositioni conuenire indicatur) molli & blanda dicendi Venere fucatum, non exhibuerimus, spero tamen Tuam Amplit. tanquam veritatis amantem, nostra in scribendo mediocritate facile contentam fore, cum nuda sit & simplex veritatis oratio. Malui enim in narrando fidem, in dicendo frugalitatem obseruare, quam Asiaticam illam verborum luxuriam, & Atticos lepores operosa difficultate & dubia spe consecrari. Neque enim humilis ingenij nostri vena, etiam si vellet, eo posset assurgere, & si maximè posset, an velle deberet, subsisto: quandoquidem legentibus saepe

A 3 numero

numero idem quod viatoribus vsu venit, qui dum ad destinatam itineris metam contendunt, haud ferunt ductorem per prata & pascua, quantumlibet herbis & floribus aprica, aliisue oculorum irritamentis exornata, cum voluptate quidem, sed temporis itinerisq; dispendio circumducentem, atque hac, qua nunc sese nobis obtulit materia, lamentis potius, quam pigmentis, tristi & lugubri cothurno, quam blâdis excultisq; soccis egerere videtur. Neque pulchrum sane illud Clitarchi videtur elogium, cuius in historia, probatur ingenium, fides infamatur. Et Xenophonti Attica Muse nomen & inaffectata incunditas tribuitur, sed eidem rursus historiae fides adimitur, & ex Historicorum coetu ad Philosophorum synagogam abducitur. Quin & ille historiae Princeps, id genus hominum damnans, $\lambda\omicron\gamma\omicron\gamma\epsilon\alpha\pi\omicron\upsilon\varsigma$ appellat, quod auditu incunda, magis quam vera, dicere eligant. Itâ saepenumero fit, ut dum apud vanos eruditi videri desideramus, apud eruditos, vani iudicemur: sed ne epistola limites excedam, oro Tuam Reuerendiss. Amplit. ut eo quo hæcenus Musas & Philomusos fauore & benignitate profecuta est, me quoque meamque hanc opellam suscipere non grauetur. Quam opellam si Tue Amplit. gratam esse perspexero, abundè magnū laboris mei fructum me consecutum iudicauero. Deus Opt. Max. Tuam Reuerendiss. Amplit. in hac

ab. lib. 10
rat. insti.
ap. 1.

in hac vergente atate confortare & conseruare dignetur, ut Ecclesia Catholica te tanto Prasule & Pastore, & studia litterarum tam insigni Patrono & Mæcenate, quàm diuissime frui & gaudere queant. Datum Colonia Agrippina, Idibus Octobris, Anno 1563.

T. R. A. obseruantiss. cliens.

Tilmannus Bredenbachius Cliuicus
Embricensis.

ANNO 4 BELLI

BELLI LIVONI-
CI QVOD MAGNVS MO-
SCHOVIAE DVX, ANNO 1568 CON-
TRA LIVONES GESSIT, NOVA ET ME-
morabilis historia, lamentabilem vniuersæ
Torpatensis p^{ro}uinciae vastationem & ex-
cidium complectens, bona fide per
Tilmannum Bredenbachium
conscripta.

PROOEMIUM.

HAUD vna ducti ratione viden-
tur, qui res maiorum pace &
bello, domi militiaeque gestas,
in historiam redegerunt, & ab
interitu vindicatas, ad posteri-
tatem transmiserunt, sempiter-
naque memoria donarunt. Quantum enim
in omnibus vitae humanae actionibus, maio-
rum exempla momenti adferant, quantum
præbeat lumen in deliberationibus, consul-
tationibus, variarumque rerum captandis con-
silijs, diligens historicarum rerum observa-
tio, nemo est qui ignorat: cuius de virtute
quia multi dixere, prætereundum puto, ne
per insolentiam quis existimet memet stu-
dium me-

PROOEMIUM.

5

dium meum laudando extollere. Est sanè vitæ ^{vide Cic.}
dux quædam & magistra, qua sublata ma- ^{lib. 1. de O-}
gnam caliginem offuderis rebus mortalium. ^{ratore.}
Quem ad virtutem, ad res audacter magnifi-
ceque gerendas succendet indoles, quantum-
uis generosa, si videat horum omnium famam,
angusto breuissimæ vitæ spatio conclusam,
vnâ cum corpore sepultam iri, & veluti fu-
mum euanescere? Neque Alexander ille Ma-
cedo, tanto feruore, tanto animi impetu, tot
casibus, tot periculis terra marique superatis,
immensa orbis terrarum spatia peragrasset,
domuisset, suumque vnus iugum subire coë-
gisset, nisi Achillis virtutes, & partam rebus
bellicis gloriam, Homeri præconio celebra-
tam, & vniuersæ posteritati transmissam, per-
spexisset. Crescit enim laudata virtus, & ve-
lut debitam sibi gloriam iure exposcit: estque
desperati negligētisque ingenij, nec laudum
calcaribus incitari, nec ignominia metu eri-
gi: magis autem corpus otio, somno ac luxui,
animum inertiae desidiaque dedere. Eorum
ego mortem vita potiore aestimo, quoniam
sibi graues, amicis oneri, Reip. sunt inutiles.
Longè alia mente ducuntur, quibus maiorum
imagines intuentibus, vehementissimè ani-
mus ad virtutem accenditur, scilicet non ce-
ra illa neque figura, nec saxea statuarum mo-
A 5 les tan-

les tantam vim in se habet: sed memoria rerum gestarum ea flamma egregijs viris in pectore crescit, neque prius sedatur, quam virtus famam atque gloriam adaequauerit. Certum utique est, praecleara maiorum facinora, non verborum colore, sed rerum magnitudine augusta, multos sua sponte ad virtutem & gloriam contententes, incitasse, acerrimaque praebuisse calcaria: multos etiam otio ac inertia torpentes, turpibusque voluptatibus plane immerfos, quasi a somno excitasse, & veluti porrecta manu ex sordidissimo carcere in sublimem speculam euexisse, in qua constituti, visa & agnita virtutum dignitate ac praestantia, non prius in ijs prosequendis & comparandis desisterent, quam vna cum ipsis sempiternam gloriam & decus immortale acquisiuisent. Multi etiam maiorum modestiam & pietatem intuentes, bene honesteque viuendi documentum ab illis desumpserunt. Si aliena virtus tam efficax est in humano ingenio, vt illud non aliter ac magnes ferrum ad se attrahat, excitet, & accendat, nec accendere cesset, donec totum studio virtutis inardescere & flagrare faciat: si alienam probitatem imitandam recte iudicamus, summam profecto rationem habet, vt aliorum vitia detestemur, & non secus ac pestilens quoddam

contra-

contagium cum honore quodam fugiamus: omnis enim vitae ratio sic constat, vt que probamus in alijs, facere ipsi velimus: quid est cur turpia & noxia in ijs, nobis vitanda non putemus? Alij Principum, Heroum, summorumque virorum res preclare gestas, magno applausu commemorant, vt quibus artibus honos, dignitas, & imperium comparetur & conseruetur demostrent: nos quo pacto Liouoniae provincia a ferocia ad mansuetudinem, a Barbarie ad humanitatem, ab idololatria ad verum vnius Dei cultum, ad summum pulcherrimumque virtutum & omnis pietatis fastigium iam euecta, deferuescente sensim pietatis ardore, suppullulantibusque vitijs, otio, desidia, luxu dissoluta sit, donec tandem omnibus pristinae constantiae & sanctae aemulationis neruis remissis, languidis, emortuis, ex illo sublimi tantarum virtutum culmine, ad usque inuicem omnis turpitudinis & ignominiae gradum deuenit, enarrabimus. Quo vbi deuentum est, non iam amplius cura fuit assurgere, non se tollere humo, atque virum voltare per ora, sed veluti curae in terras anime, & caelestium inanes, humi repere, terrena sapere, otium labori, ventrem Deo preponere maluerunt. Accessit Baccho, Veneri, & Cupidini, immo lasciuientibus & semiferis Faunis, haeretica Circe, quae quod metis & rationis supererat, ita suis

*Idem refert
Sebast. M.
sterus in su
Cosmograp
phia lib.*

ita suis infaustis & maledulcibus carminibus excantauit, euertit, & profligauit, vt iam velut planè hominè exuti, nihil humanum referrent, nulla pristinæ lenitatis & mansuetudinis vestigia conspicerentur, vt verè dictum agnoscas: Quotquot se seclis dedunt, exuunt prorsus hominem. Ex hac demùm tam infelici & monstrosa metamorphosi, secuta est illa deformis & calamitosa illius olim florentissimæ nationis facies, illa malorum omnium *πανολητερία*, quam ipsi suo omnium funestissimo exitio persenserunt, nos quàm verissimè omnibus spectandam proponere conabimur. Quod vt operosum, ita inprimis arduum videri meritò queat. Primum quia facta dictis exæquanda sunt: deinde quia plerique quæ delicta reprehenderis, maleuolentia & inuidia dicta putant: vbi de magna virtute atque pietate bonorum memores, quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit, paulò maiora & commune virtutis studium excedentia, veluti ficta pro falsis ducit. Quorum tamen neutrum eos qui ad Rempub. iuandam, studia & labores suos dirigunt, à recto proposito deijciet. Oratio enim vt rem gestam representet, fides ac diligentia præstiterint: ne autem fraudi sit prolata veritas, & sincera animi nostri sententia, à bonis

à bonis & candidis facilè impetrauerimus: apud malos non obtinuisse, nihil moramur. Multi grauissimos labores exhauerunt, vt sublatis abusibus, Ecclesiasticos ad meliorem frugem, submotis dissidijs & confutatis erroribus, errantes & factiosos ad veritatem & concordiam vniusque orthodoxæ doctrinæ consonantiam reducerent. Quid profectum sit, quid apud vtrosque obtentum, loquitur publica vniuersi orbis calamitas. Nos ex multis vnus duntaxat populi exemplum proferemus, & remotis affectibus, quem deses & voluptuaria vita euentum sortita sit exponemus, & simul quas turbas, quæ mala secum aduexerit temeraria Religionis mutatio, demonstrabimus. Quam si æquis animis vtraque pars tam Ecclesiastici, quàm nouarum Religionum (dignemur enim eas hoc nomine) sectatores acceperint, acceptam legere sustinuerint, quid in tam deformi perplexa & dissipata rerum omnium facie sequendum faciendumve fuerit ad liquidum animaduertent, facillimamque pacis & tranquillitatis inueniendæ viam cognouerint. Sin autem nos, qui aliorum respectu exigui admodum laboris sementem facere videmur, tam vberem, tam optatam, & fructuosam messem, summis plurimorum desiderijs ac sudoribus hæctenus

hactenus negatam, referre non poterimus: neque caduceatoris simul & narrantis partes assecuti fuerimus, alterum horum sufficiat, nudam & simplicem historiam, ut à nobis indagata est, rerum gestarum studiosis pro virili nostra communicasse. Quandoquidem hac sola excellentissimos etiam historiarum scriptores contentos fuisse videmus. Quae tamen si, ut gesta est, ita omnium oculis aperta foret, vel me tacente, hos integrius viuere, illos rectius sentire doceret. Hac de instituto nostro praefari visum est: nunc id ipsam qua poterimus perspicuitate ac fide, plequemur.

Funestissimi autem belli historiam scripturus, unde primordia ducenda sint, equidem vix satis perspicio, & si perspiciam, discernere vix ausim: magnum enim fuit, & atrox, & varium, tum utrinque, talis exercitus, tales copiae, in quibus an truculentam & plus quam ferinam barbariem, an humanae bilis acrimoniam, an demum numinis iram & vindicandi propositum praevalesse dicendum sit, in questionem venire potest. Nam & utraque acies, uterque populus, hi exuta, illi, quam nunquam ferè induerant, neglecta humanitate, & sibi inuicem & Dijs hominibusque uniuersis erant exosi. Odit autem unam ferè & aequalis unde quaque fuit causa. Numinis quidem ira iusta fuit in Barbaros homines, quo-

rum hi

rum hi, Liouones dico, prisca & à maioribus accepta religione profligata, impio schismati, impios nefariosque mores copulantes, ab uniuersa Ecclesia, ab omnibus circumiacentibus populis, denique à seipsis dissidebant: illi Moschouij, retento mutilo & schismatico Dei cultu, vagos ac leues, tum in mutata Religione, tum in dissoluta viuendi consuetudine, Liouonum animos, seu vero, seu simulato pietatis zelo, detestabantur. Sic quod utrinque Deo, veritati, & rectae rationi repugnabat, alteri in alteris damnabant, in eo utrinque sibi sapere, secundum Deum, naturam, & rectae rationis praescriptum viuere videbantur. Factumque ita est, ut & Dei clementiam, ceterarumque Gentium animos à se auerterent, & sibi praeter inueteratam inuidiam, noua odia, ex odijs bella conflaret. Sed priusquam huius rei initium expedio, pauca supra reperam, quod ad cognoscendum omnia sint illustria, magisque in aperto.

Liouonia vltimus penè Christiani nominis terminus, ad Orientem Rutenis iungitur: ad Septentrionem Suedis: ab occidentem mari Balthico: à meridie Prutenis & Polonis. Variæ sunt in hac provincia multarum gentium linguæ, quæ diuersitas populi illius inciuilitatem & barbariem haud obscure coarguit. Nam si vitæ communio, aut rerum pace belloque

gestarum

gestarum extitisset societas, varietas illa morum & linguarum in vnum sermonē & consonantiam coaluisset, aut certè maior esset affinitas & coniunctio. Græci & Romani plagarum Septentrionalium minus exactam habuerunt notitiam: vnde factum, vt Liuonia prouincia vnà cum vicinis ad Aquilonem vergentibus populis, Christianæ religionis ignara, vano idolorum cultu diù subiuga fuerit. Demùm temporibus Imperatoris Frederici primi, mercatores rem familiarem ex commercijs hominum augere cupientes, in Liuoniam concesserunt, & gentis animos ad mutua mercimonia pellexerunt. Porrò succedente quæstu, & mercatoribus subinde eò loci confluentibus, sacerdotes paulatim se illis adiungere cœperunt, vt illis Liuonum pecunias sibi acquirere, ipsi animas eorum Christo & Ecclesiæ lucrifacerent. Erat enim populus miræ simpliciteris, opum parandarum, & rei diuinæ iusto negligentior. Fertur expresso melle ceram velut quisquiliâs & purgamenta domibus eueruisse. Contigit ea tempestate, Minardum pietate & vitæ sanctimonia insignem Lubeco proficisci, & vnà cum negotiatoribus conscensa nauis, in Liuoniam trajicere. Factum id circiter annum restauratæ salutis 1200. Hic in tam insigni

signi messe nullos operarios conspiciens, continuo manendum ratus, casam extruit, & vnico vnius famuli conuictu contentus, ætatem mihi agere constituit. Paulatim deinde hominum familiaritatem captare, & peregrinæ gentis ignoto sermoni assuescere. Quo labore simul & tædio superato, habita iam contractæ notitiæ & mutui conuictus opportunitate, religionis & rerum diuinarum eos admonere cœpit, sensimque à vano & superstioso idolorum cultu, ad Christianæ fidei obseruantiam adducere. Secundant pium viri conatū Superi, nec inuiti complures in agnitam veritatis doctrinam concedunt. Quorum crescente numero, multorumque animis, vt fit, rei nouæ, & incomptæ religionis studio incalescentibus, basilica instauratur. Nec multò post Meinardus à Bremensi Archiepiscopo, in Liuoniensem Episcopum consecratur, rem Ecclesiasticam nō parum adaugens. Successit illi Bertholdus Cisterciensium Abbas, qui contra irruentes fidei hostes, vnà cum peregrinis militibus, qui pietatis ergo ad militiam concesserant, pugnare instituit. Vbi ad pugnam ventum est, equo infreni in mediam Barbarorum aciem proiectus, confoditur. Interim crescente multorum pietate, plurimi sacra se militiæ deuouerunt, no-

uoque religionis habitu adiuuato, Ensi-
ros fratres sese nuncupauerunt. Sed cum
rebus gerendis superesse non possent, ho-
stiumque vis undique inualesceret, magno
Teutonicorum Ordini per Prussiam se coniun-
xerunt, qui grauissimis variorum bellorum la-
boribus fortiter exantlatis, haecenus rerum in
Liuonia potiti sunt, habentes Ordinis Magis-
trum, qui vna cum Commendatoribus seu
Praefectis gubernauit vniuersam prouinciam.

Sunt & praeter hunc, Episcopi in Liuonia
quattuor: Archiepiscopus Rigenis, Episcopus
Torpatensis, Episcopus Habselensis, & Ose-
lensis, & Episcopus Riualiensis. Ciuitates praeter
ceteris insignes sunt Riga, Riualia, haec mari-
tima, illa ad Dunam fluium sita: & ciuitas Tar-
bata siue Torpatum, Rutenis finitima. Mino-
ra Liuonia oppida sunt VVenden, VVolmer
Velyn, VVirkestein, Petuo, VVeseberch, Ner-
uia, Ouerpael. Haec oppida arcibus etiam instru-
cta sunt & munita, ceterum vniuersa a Ca-
tholicismo ad Lutherana dogmata defecerunt,
praeter oppidum Habsel & Osel, vbi Metro-
politanarum Ecclesiarum Canonici, nulla maiore
vi perturbati, sollicitati, aut profligati erant, sed
illlesi & incoccussi Ecclesiastica munia obibant.

Ordinis Teutonici Magister vna cum suis
Commendatoribus, plurima oppida & arces
possi-

possidebant. Et primo quidem Ordinis ma-
gister & Episcopus Rigenis simul & coniun-
ctim occupabant ciuitatem Rigensem, verum
ordinis magister praeter dominij & possessio-
nis consortium, arcem quoque inibi habe-
bat, & alteram duobus miliaribus a ciuitate
dissitam, Dunemond appellatam: siquidem
Riga non plane adiacet mari, sed duobus mi-
liaribus distat. Praeterfluit eam fluius Duna,
ac duobus miliaribus emensis in Oceanum
se exonerat. Per hunc naues ad ciuitatem Ri-
gensis appellunt. Habet praeterea Ordinis
Magister alia oppida complura, videlicet
Riualiam, Perno, VVenden, VVolmer, Ner-
uiam. Sunt & Rigeni Episcopo arces muni-
tissimae, scilicet Kokehusen, Mariehusen, &c.
Episcopus Torpatensis vnam habet ciuita-
tem Torpatum, arces vero plurimas muni-
tionibus & magnificentia praestantes videli-
cet arcem iuxta Cathedralis Ecclesiam Tor-
patensem, & alteram cui nomen Nienhuys,
18. miliaribus a Torpato, Rutenis con-
terminam. Tertiam VVerbeke: Quartam Ol-
denthorn, &c. Episcopus Habselensis possi-
debat oppidum Habsel, & Osel, arcem quo-
que insignem Arnsborch. Riualiensis quoque
Episcopus arces aliquot sibi subiectas habe-
bat, sed nullum in ciuitatem & Rempublicam

Riualiensem dominium aut imperium.

Siliginis & frumenti diues est Liuonia, aded vt extra quoque nationes Hollandia, Lubecum, &c. eius vbertatem persentiant, ad quas frumentum è Liuonia grandi copia aduehitur. Pecoribus quoq; & venatione abundat, vt refert Munsterus. Habet enim vrsos, alces, vulpes, lynces, marturos, zabellos, hermelinos, castores, &c. lepores in Liuonia nati, mutant æstate & hieme colorem, haud secus quam apud Heluetos in alpihus, hieme sunt albi, & æstate cineritij coloris. Inferunt & Ruteni pelles vrsorum albas in


Liuoniam, quas ex frigidissimis

Septentrionis partibus aduehunt.

EX-

EXEMPLAR EPISTOLÆ DENUNTIATORIÆ

BELLI, QUAM MAGNVS MOSCHOVIC Princeps ad Liuonia proceres misit, quam è Germanico in Latinam phrasim traduximus.



Ilhelme Liuonum Magister, Archiepiscopo Rigenfis, Episcopo Torpatensis, ceterique Episcopi, & vniuersi Liuones. Misistis ad nos legatos vestros, viros bonos, Iuanū Bockhorst, Othonem Gratuius,

& Volmarium Wranghel, cum reliquis adiunctis, vt capite corā nobis inclinato, peterent Teutonico Magistro, Archiepiscopo Rigenfi, Episcopo Torpatensi, cunctisq; Liuonia populis hanc à nobis gratiam fieri, vt dato ad Praefectos nostros Naugardia & Pleskouia mandato, pax cum Liuonibus iuxta veterem morem sanciretur. Nos vero Praefectis nostris mandauimus, nullam vobiscum propter vestram iniustitiam, pacem firmandam, volentes hanc vestram iniustitiam vindicare. Ceterum legati vestri Iuanus Bockhorst

Mos est Moschonicorum veluti & Turcarū v caput non aperit, sed tantū illu inclinēt eoq nec Christiā ni illis aperiant caput sed inclinā

cum suis collegis eam pacem à nobis exorarunt, ijs condicionibus, vt Magister Teutonicus, Archiepiscopus Rigenfis, & Episcopus Torpatensis, cunctique Liuones, quidquid iniuste contra nos moliti sunt, id restituant, & resarciant. Prater ea ilicò nostris negotiatoribus concedant cum suis mercatoribus negotiari, omnisque mercium generis, utpote cere, seui, loricarum, & armorum permutationes facere. Item vt Episcopus Torpatensis conquirat tributum omnium prateritorum annorum, & vniuersa debita ex tota diocesi Torpatensi, de vnoquoque capite marcam Germanicam, tertio pacis firmata anno mittendam. Atque hoc nostrum tributum deinceps singulis annis dare debeat Episcopus sine dilatione, omnibus quoque seruitiis aut ministeriis nobis prestare volentibus, ex quacunque natione veniant, citra vallum impedimentum, liberum in nostras regiones accessum & comitatum concedat. Regi quoque Polonia & Magno Duci Lituania, aut si alius quis in Regē Polonia aut Magnum Ducem Lituaniae surrogetur, nullas suppetias & auxilias vlla in re ferant. Quidquid prater ea littera super pace firmata cōfecta, qua multoties descripta sunt, & quarum nomine crucem coram omnibus vobis osculati sunt, continent, ea omnia ritè legitimèque prestetis. Insuper & praefecti nostri Magna Nangardia & Plesconia has de pace inita lit-

teras

teras ad vos per nuntium suum Melardum Torpiko miserunt: Teutonicus quoque Magister, Archiepiscopus Rigenfis, Episcopus Torpatensis, ceterique Episcopi loco & vice omnium Liuonum super his litteris, crucem exosculati sunt, et dextras porrexerunt: octo etiam sigillis easdem coram Melardo Torpiko communiuerunt, & per eundem Melardum nuntium ad nostros praefectos ita communitas transmiserunt, eum in finem, quòd iuxta litterarum tenorem omnia nos & praefectos nostros concernentia, iuste & legitimè exequi velletis, prout in litteris scriptum continetur, in hunc usque diem. Horum omnium nihil adhuc praestitistis. Interea nos ne Christianus sanguis temerè effunderetur, sepe numero per litteras vos monuimus, vt hac pacta iuxta contextum litterarum de pace conscriptarum, iuste & rectè exequeremini. Similiter per legatum vestrum Gerhardum Flemminck, & nuntium Valentinum, item per Melchiorem cum suis adiunctis, itemque per Henricum VVinter vobis nūtiavimus, vt à verbis iniustis & minimè veracibus temperaretis, utque probos & integros vos praestaretis in omnibus causis, iuxta litteras pacis & Crucis osculum, vestramque culpam agnosceretis, ne sanguis innoxius effunderetur. Vos verò nostram clementiam spreuistis, & litteras liberi comitatus à nobis postulastis, ea solum de causa, vt res longius

B 4

proce-

protelaretur. Et quoniam legē diuinam, omnēque veritatem postposuistis; nec de crucis osculo quidquam cogitatis, nostramque gratiam & clementiam aspernamini, ea propter meditamur inuocato diuino auxilio, iustitia nostra ergo, & vestra iniustitia, quam in crucē Altissimi designastis, vos ulcisci, & vestram prauaricationem vindicare. Deo igitur nobis auxilium præstante, & alterutrorum sanguinem profundente, certum erit eum non nostram ob culpam, sed vestram iniustitiam profundi. Hoc scitote, nos non minus ac vos esse Christianum Principem, nec unquam gratum nobis fore spectaculum, si vllius sanguinem innocentem à nobis profundi videamus, siue Christianus ille sit siue gentilis. Vt autem iniustitiam vestram agnoscatis, decreuimus nunc magnificam & præpotentem nostram virtutem hac epistola, qua bellum vobis indicimus, ad effectum deducere, quam epistolam per hunc nostrum ministrum ad vos destinamus, iubentes ne inuitum illum detineatis, sed liberum ad nos regressum concedatis. Datum in nostro dominio, aula & vrbe nostra Moscho. anno 1067. mense Nouembri.

ORIGO

ORIGO ET PRINCIPIVM BELLI.



ANNO 1558, ciuitas Episcopalis Torpatum Liouoniensis prouinciæ, à Magno Principe Moschouitarum, siue à Rutenis (ipse enim Magnus Moschouia Dux in armis non erat, sed ingentem Rutenorum exercitum ad ciuitatem expugnandam miserat) grauissimè obsessa est, pertinacissimè oppugnata, & tandem die 18. Iulij eiusdem anni, lamētabiliter expugnata: cuius originem & causam haud obscurè licebit animaduertere, si eorum quæ superioribus annis ibidem contigerunt, exactam rationem habeamus.

Anno Domini 1527. ipso die venerabilis Sacramenti, pellio quidam VVirembergensis, in ciuitate Torpato, clancularias conciones in ædibus quorundam incolarum habere cœpit, plurimos è iunioribus mercatoribus, nouis dogmatibus à Catholicismo seducens, vsque aded vt vehementer adaucto, factiosorum numero, dominica die proximè subsequenti, seditiosè ac magno cum tumultu in basilicam Diuæ Virgini sacram irruerent, suumque

suumque illum concionatorem violenter in
 suggestum collocarent, sacerdotibus & can-
 toribus omnibus è templo profligatis. Hinc
 altaria, & diuorum statuas inuadunt, diruunt:
 imagines ipsas in forum allatas accumulunt,
 & substructa pyra comburunt. Consimili
 modo in ædem D. Ioannis velut homines
 phanatici se proripiunt, aras subuertunt, ima-
 gines confringunt, organa demoliuntur,
 omnemque templi ornatum in foro conge-
 stum, ignibus & flammis subiiciunt. Non-
 dum his exatiatus impius eorum furor & cæ-
 ca temeritas, Dominicanorum monasterium
 inuadunt, monachos vniuersos exturbant,
 adeò vt saluo corpore difficulter euaderent.
 Præfectus monachorum hortatur fratres, vt
 patienti & infracto animo sustineant, quid-
 quid ob Christianæ fidei professionem ob-
 ueniat, paratum esse brabæum & coronam,
 quam omnibus strenuè certantibus sum-
 mus ille Agonothetes cumulatè solet elar-
 giri: nullam esse tantam crucem, nulla tor-
 menta, quæ illi triumpho valeant æquipa-
 rari. Huiusmodi dictis vbi suorum animos
 obfirmavit Præfectus, omnibus alacri ani-
 mo dimissis & abdicatis, cum fratrum sode-
 litio è monasterio secedit, nec quidquam
 è monasticis bonis secum aufert vniuersa
 societas

societas, præter horarium precum codices.
 Atque ita Dominicanis è monasterio suo eie-
 ctis, pergit Lutherana factio ad ædem Mi-
 noritarum, eosque simili modo explodit.
 Horum Præfectus, quem Guardianum vo-
 cant, itidem fratres, si qui erant animi deie-
 ctioris, confirmat: ac non multò post cum im-
 portuniùs vrgeret factio, singuli acceptis
 psalmodijs horarijs, præeunte Guardiano,
 voluntarium exilium libenter amplectun-
 tur, parati omnia derelinquere, propter il-
 lum quem nouerant animam suam posuisse
 pro ipsis. Vbi hanc in monasticæ professio-
 nis viros crudelitatem exercuerunt, scæmi-
 neum insuper sexum aggredi instituunt, virgi-
 nes ex antiquissimo Ecclesiæ more, Deo dica-
 tas, inuadere parant. Erat ibidè monasterium
 virginum, instituti D. Francisci. Hæc cum ir-
 ruentes conspicerèt Lutheranae factionis con-
 iuratos, in genua prouoluuntur, & vt fieri so-
 let, lacrymis & precib. orant, propter com-
 mune nominis Christiani professionem, per-
 mittant ipsis antiquæ, & à maioribus acceptæ
 religioni, cui mancipata sint, pacificè & tran-
 quillè vacare, innoxium se & imbecillum esse
 cœtum, quæ mundanas & *biarinas* curas re-
 signauerint, voluntariam paupertatem &
 pudicitiam profiteantur, obsecrare se, ne
 cultum

culum diuinum, & susceptum vitæ institutum deserere, atque è monasterio profugere, aut voto contraria patrare complant. Hoc tam miserabili planctu nihil emoliti Lutherani, velis & peplis è virginum capitibus excussis, truculentas manus in crines earum mittunt, ex cellis & latibulis, inclementer extrahunt, & monasterio extrudunt, quasdam etiam coniugium amplecti compellunt. Miserandum hoc erat, & flebile spectaculum, quod vel saxum pectus in gemitus & lacrymas solueret. Porro ex monachis nuper eiectis, quotquot parati erant exuto & abdicatione habitu monastico, matrimonio se dedere, & Lutheranam doctrinam suscipere, eos, ab exilio reuocatos, iure ciuitatis donabant: quales venerandus vir D. Philippus Olmen, qui horum ferè omnium spectator, & vt historicè ea conscriberem mihi auctor fuit, plerosque nouit. Hi coniugibus assumptis, liberos educabant, familiam alebant, omniumque pertinacissimè Catholicos persequebantur. Hoc igitur modo monachis, virginibus, cœnobiticis, & sacerdotibus penè omnibus, paucis exceptis, profligatis, Senatus & ciues Torpatenses, Monachorum, Parochorum, & Vicariorum exuias, & redditus ad se transferebant. Habebat id temporis

miles

magnus

magnus Moschouix Dux, Torpati, Rigæ, & Riualix Templum, vbi Moschouitica gentis negotiatores, diebus Dominicis, suo more cultum Diuinum peragere consueuerant. Non tulit Lutherana factio, vt Ruthenorum & Moschouitarum Templum illasum eaderet, sed in eodem feruore, immò furore in illud se proripiunt, & penè à fundamentis vniuersam ædificij molem subuertunt. Porro ne dirutarum basilicarum nullus omnino vsus esset, Dominicanorū Ecclesiam tormentis bellicis asseruandis destinant, & in publicum armarium conuertunt. Franciscanam ædem calci coquende deputant. Ruthenorum templum in foricam conuersum, excipiendis factoribus, sordibus, & excrementis humanis mancipant. Atque hoc modo, vbi Torpati in Catholicorum & Moschouitarum delubra sæuitum est, Rigæ & Riualix itidem Ruthenorum phana demoluntur, quod resciscens Magnus Moschouix Dux, & Liuones tam noxiam, impiam, & execrabilem hæresim suscepisse intelligens, rei indignitate commotus, Si, inquit, Pontifex Romanus, & Romanorum Imperator, sustinent suos sacerdotes, & monachos profligari, templaque & sacraia dirui, sacra profanaque omnia pollui, nobis non est animus

sectam

sectam ad eò perniciosam, in nostris prouincijs impunè grassari permittere, sed euoluto pacis termino, bellum illis indicemus, eo quòd nostras basilicas tam profanè, & impiè violauerint, ac destruxerint.

Eodem ferè tempore Torpati, Lutheranae factionis, primates in Ecclesiae Cathedralis Torpatensis Canonicos conspirauerant, captantes vel dolo vel armis Ecclesiam inuadere, ea autem in edito monte sita est. Pellio qui vniuersae factionis Princeps erat, ducentos è suis conuocat, consilium de inuadenda Cathedrali Ecclesia proponit. Illi spe praedae auidi, alacres & parati in sacrilegium consentiunt. Vbi ad primariam Basilicam ventum est, conspiciunt ibidem praestolantem Satrapam virum nobilem generosi animi, & magnae virtutis, tredecim satellitibus stipatum. Hic eos compellans, quaerit quid moliantur, qua de causa armati accedant. Respondet pellio, se Canonicos profligaturum. Satrapa iubet, ne plus imperij & iurisdictionis sibi vendicent, quam delegatum habeant, sed suos intra limites se contineant, eam auctoritatem ipsis nondum demandatam. Quo audito, confestim ipsum Satrapam inuadere parant. Ille quantumuis armis &

satel-

satellitibus parum instructus ad pugnam, numeroque & copia Lutherana factio longè praualeret, nihilo secius, vt erat animi excelsi, vnà cum stipatoribus quos tredecim duntaxat habebat, petulantem & seditiosum eorum conatum auertere & impedire aggreditur, exertoque gladio, factiosam ducentorum armatorum cohortem vniuersam, in pedes agit. Illi è sommo montis vertice praecipites ruere, & velut fulmine consternati, fuga salutem quaerere. Quinque ad necem vsque caesi, viginti vulneribus faucij & plagis contusi, cum reliquo seditiosorum manipulo vix effugiunt. Satrapa cum satellitibus omnibus illaesis, praecelaram victoriam, omnium pacis amantium applausu, domum reportat. Tum illi in ciuitatem se abripiunt, & publico campanarum signo dato, classicum canunt, quo audito, vniuersa confluit Respublica. Satrapa ne in manifestum se periculum conijceret, intractabilis & iam tum insanae saeuientis vulgi oculis se subducit, & in Episcopi arcem se recipit. Pellio tametsi antea infeliciter pugnat, & magno cum dedecore, ipse cum ducentis à quatuordecim fugatus erat, aucto tamen suorum numero, propositum redintegrat, ac denuò Cathedralè Ecclesiam oppugnaturus, cum ingenti turma procedit.

Postquam

Postquam ad basilicam ventum, in valuas ingentibus machinis irruunt, quarum vim ubi nec claustra nec omnis portarum vis ferre vallet, labat ariete crebro ianua, & emoti procumbunt cardine postes, fit via vi, rumpunt aditus, & prima trucidant Diuorum simulachra, & saxea numina templo disijciunt. Neque in Diuorum statuas tantum sauium est, sed & crucifixi imagines, gladijs & lanceis transigunt, quod olim Iudæos factitasse legimus, apud Damascenum, & scriptores historiae Ecclesiasticae. Erat in eadem Torpatensi basilica Baptisterium, summo artificio & magnis impensis extructum. Inter cetera ornamenta, sculpra erant Saluatoris, & duodecim Apostolorum imagines; has magno impetu inuadit sacrilega iconoclastarum cohors, quippe qui antea ducenti à tredecim stipendiarijs turpissimè fugati, sauciati, ac demum omnes profligati, latebras quaeritabant, nunc confirmato numero, tredecim simulachra inuadunt, ne nullam omnino victoriam referrent: Egregiam verò laudem, ea meretur fortitudo, cum facile sit vincere non repugnantem, & de statuis debellatis triumphum agere. Sauiunt igitur in aeneos, saxeos, & ligneos hostes: alios capite plectunt, alios manibus, naribusque truncant, laetorijs & ludibrijs

non

non statuas tantum, sed & ipsos prototypos & sanctos calumniantes, qui capitis, manuumque periculo Catholicam fidem asseruissent. Hinc in quorundam Canonorum (nam hos, quia de nobili erant profapia, metu retracti, nondum ædibus & vrbe submouerant) ædes procurunt, omnibusque esculentis & poculentis per vim conquisitis, admirabili inuetercundia & gastrimargia, ut in eiusmodi tumultibus fieri solet, famelicam ingluuiem suffarclunt. Dum hæc magnis seditionibus & vulgi clamoribus in vrbe Torpatensi geruntur. Proceres & nobiles prouinciae, quibus adhuc cordi erat Catholica religio, torpatum conueniunt, & propositis conditionibus rem ita componunt, ut metropolitanae Ecclesiae Canonici, in Ecclesia sua, solennia sacrificia, & reliqua ad cultum diuinum spectantia, nullo turbate aut molestante, securi peragant. Re ita composita, Senatus vniuersae Reipublicae mandat, ne quisquam ciuium Missas, aut conciones in Templo Cathedrali audire tenter, Senatoriam iussionem violantes, decem marcarum poena plectendos. Atque hoc modo Catholicus Dei cultus triginta annis saluus & incolumis, in Metropolitana Ecclesia permansit. Sape tamen minitabantur se ex vrbe ascensuros, vniuersosque

C

losque

fosque sacerdotes trucidaturos, vnde patet illos extremo periculo continenter expositos, & veluti mures in decipula, hostium metu vndique conclusos & circumseptos fuisse. Præter Canonicos, erat ibidem virginum nobilium, Deo dicatarum monasterium, quas metu potentiorum Procerum, qui in Catholica religione etiamnum constantes erant, prohibente, nec dum è monasterio eiecerant.

Dum hic tumultus per Lutheranae factionis concionatores Torpati excitatur, præerat Episcopatu Torpatensi R. D. Ioannes à Blankeveldt, vir magnæ pietatis & virtutis, qui ea tempestate fortè in Rigensem provinciam concesserat, cuius etiam agebat Episcopum: Hic vbi seditiones & turbas per hæresim excitatas inualescere animaduertit, easque sua auctoritate non posse tranquillari, è Liuonia in Hispaniam ad Carolum V. Imperatorem proficiscitur, quæ vbi propediem iam, emenso adhuc duorum dierum itinere, conuenire posset, morbo correptus, in Hispania moritur, non sine veneni suspitione: ferebatur enim in Liuonia, ministrum eius à Lutheranis subornatum, vt toxico eum sustolleret. Imperator vbi rescivit tanta pietate, ac virtute Præsulem, tanta locorum spatia peragrasse,

longissi-

longissimique itineris molestias & pericula sui causa suscepisse, indoluit de viri obitu, quodque aduentus causam, quam omnino arduam cõijciebat, nondum ex eo cognoscere licuisset. Quam vt intelligeret, emissarium quendam repente ablegat, qui Episcopi scripta & litteras conquirat, inuentasque ad Imperatorem deferat. Ex ijs Imperator vniuersam Liuoniæ tempestatem liquido cognoscit, turbari omnia, & euerti à Lutheranis, templa dissipari, monasteria dirui, monachos profligari, sursum deorsumque omnia agi & ferri. Mittit igitur Legatum in Liuoniam, vnà cum litteris & mandatis Imperialibus, ne quisquam in posterum basilicas aut monasteria inuadere aut spoliare attentet, sed vnumquenque suam religionem obseruare & profiteri sinant, ad decretum & determinationem futuri Cõcilij. Liuones Imperiali mandato accepto respondent, se in religionis negotio ne flocci quidem facere Imperatorem Romanum, quinimò priusquam equitatus ipsius in Liuoniam perueniat, lassum fore & fatigatum. Si magno cum exercitu veniat, fame & inedia eos consumèdos: sin cum exiguo, facile posse superari, & cædi.

Torpatenses cognita Episcopi sui morte, alium Episcopatu præficiunt, D. Ioannè Bie,

incolæ & ciuis Torpatensis filium. Hic ad Lutheranorum facinora conuiebat, & prouinciam grandi ære alieno grauabat. Eo defuncto, ex consilio amplissimi Teutonicorum Ordinis Magistri D. Ioannis à Reck, qui Catholicus adhuc, & summè laudabilis erat Princeps, eligitur in Episcopum D. Iodocus à Reck, magnæ nobilitatis vir, ex VVestphalia è comitatu Markensi oriundus. Hic Torpatensem diocesin, contracto per antecessorem ære alieno, liberabat, & præclare vniuersam prouinciam administrabat, quem etiam Ruteni reuerebantur & suspiciebant, iustitiæ & strenuitatis ergò. Ceterùm anno 1551. propter ciuitatis Torpatensis rebellionem, & plerorumque nobilium, qui magno numero ad Lutherana, dogmata defecerant, inobedientiam gubernationis pertæsus, abdicauit se Episcopatu, & ex prouincia secessit. Surrogatur in locum eius Hermannus à VVesalia, vnus è monachis Dominicanis, quos Torpatenses monasterio submouerant: hic verò nec habitum nec Religionem deseruerat, sed in monasterium Vualkena Ordinis Bernardini, quod duobus miliaribus Torpato distabat, profugerat. Erat abbatia, humili & palustri in loco sita, turribus & muris vndique munitissima, propugnaculum aduersus Mo-

sus Moschouitam inexpugnabile. In hac abbatia idem D. Hermannus à VVesalia aliquot annis egerat Archimandritam, sedulo ac diligenter functionem administrans & monachos in officio continens. Quo nomine cum bonis omnibus commendaretur, Episcopus Torpatensis constituitur, anno 1553. Verum equestris Ordinis plerique animum eius à recto transfuersum egerunt. Paulò enim post quàm solenniter esset inauguratus, nobiles quidam Lutheranae factionis, & ciuitas Torpatensis, tres ei articulos proponebant, petentes, vt eos admitteret. Primò, quandoquidem nunc in Imperij Romani Principem electus esset, monastico habitu deposito, aliù ei functioni decentiorem conuenientioremq̃ assumeret, cui articulo consensit. Secundò, vt vtranque speciem in S. Eucharistia omnibus indistinctè & publicè permitteret. Huic quoque articulo subscripsit: caterùm quia missarum vsus adhuc manebat incolumis, nolebãt Liuones Eucharistiam sub Missæ sacrificio percipere, atque ita hic articulus nullum effectum sortitus est. Tertio deberet Episcopus sacramento affirmare, & vniuerso Nobiliù Ordini ac ciuitati Torpatensi polliceri, se nec factis nec consilijs aut scriptis, Lutheranae doctrinae aduersaturum. Hunc quoque

quoq; articulum seruare promisit, & paulatim pristinae suae constantiae ita oblitus est, vt cum Lutheranis adesset, in omnibus eorum arbitrio seruiret, & cuncta ad gratiam loqueretur, frequenter etiam ad se inuitaret, conuiuia & symposia cum illis communia haberet. Paracisi quoq; & Ecclesijs passim homines, non sacerdotes nec legitime sacris initiatos praeficiebat. Quinquennio Episcopatum pacifice occupauit, nullum interea Missae sacrificium perages, ne equestres & proceres offederet.

1523 Dum haec geruntur, strenuum agit Lutheranae doctrinae praecone pellio VVittenbergensis, iactans se Apostolicam simplicitatem imitaturum, & vna tunica contentum fore. Docet praeterea, calices & vasa Ecclesiae aurea pauperibus elargienda. Contigit autem biennio post, quam e suggestu publice docere ceperat, vt consul ciuitatis Torpatensis sacram Eucharistiae thecam e templo abreptam, in catenam auream, pro vxore & filia formati curaret, affirmans se auri pretium & aestimationem pauperibus elargitum. Non multo post praecone concionem habente, Consul filia templum ingreditur, aurea catena exornata, quam e suggestu concionator Lutheranus conspicit, repente exclamans, iubet vt quotquot presentes essent mulieres & virgines, assurgerent,

rent, & in genua prouoluerent: adferri enim flauam Christi tunicam, quam dum Papistae Christo suo circūdedissent, eas omnem reuerentiam & venerationem eidem exhibuisse: nunc autem Consul filiam eadem tunica catenatam, proinde eadem reuerentia & honore prosequantur. Soluta concione citatur praeco ad Senatum, interrogatur cur Consulem publica contumelia affecisset, qui sacrum seu hierothecam praestita aestimatione legitime emisisset. Respondet se suosq; qui verbum Dei doceant, eiusmodi praedarum participes esse debere, ac tunc demum silentio sacriligium dissimulare velle: Senatus ne huiusmodi contumelias & exprobrationes audiret crebrius, pretio hominem induxerunt, vt Riualiam concederet. Porro alij Lutheranae factionis concionatores, immensas penes diuitias accumulantes, aedes, praedia, redditus magno numero coementes, purpura, & pellibus pretiosis sumptuosiores ipsis consulibus, & Senatoribus. Siquidem vnde antea decem aut plures honeste & frugaliteralebantur, ea omnia duo Lutherani praecones ad se transtulerant, nondum interea tanta opum affluentia contenti, vt manifestum euaderet, ipsos nihil praeter quaestum, opes, desidem & voluptuariam vitam sectari.

Paucis ab annis posteaquam Torpatenses in Lutheranam doctrinam concesserant, feria sexta solenne Paschæ festum proximè præcedente, finita Lutherani Ecclesiastæ concione, ciuibus è templo D. Virgini matri sacro reuertentibus, quidam alium conciuem & familiarem inuitat ad prandium, rogat vnà domum comitetur, habere se paratum insignem petasone Vuestphalicum. Alter parum abhorrens, respondet sibi esse gallum opiparè elixum, quem cupiat in symbolum adferre. Dum ad mensam accumbitur, alter os quoddam galli ambedere volens, imprudēs ipsum penè deglutit, quod cum neque transmittere neque eximere valeret, eo ipso die suffocatur. Alter postridie Paschæ malo spiritu corripitur, & non multò post rabie & furore exagitatus, animam vnà cum demone exhalat.

Equestrium autem plerique in Prouincia Torpatensi, Lutherana hæresi vsqueadè dementati erant, vt diebus quibus ieiunium indicare consuevit Ecclesia, tum etiam tempore ieiunij quadragesimalis, binas mensas instruerent, vnã Papisticam, alteram Evangelicam appellantes. Priori viliores & vulgariorem panem imponebant, quæ illi vulgò panem rusticum vocitabant, huc addebant legumi-

legumina & ceruisiam tenuissimam. Euangelicæ mensæ imponebāt panem selectissimum & purissimum, quem sua lingua vocabant panem Teutonicum, ceruisiam præstantem, & carnes assas & elixas affluenter. Faciebāt hoc, vt villicos & agricolas à Catholicismo ad Lutheranismum pellicerent. Illi verò maledulces epulas facilè respuebant, vilitissima edulia exquisitissimis ferculis præferentes, vt in Catholica religione constantes perseuerarent. Quidam etiam nobilium cum plebeios & agricolas à Lutheranismò auersos conspicerēt, diebus quibus ieiunium Catholica indicebat Ecclesia, eos accersebant, carnes & cibos vitos violenter illis in ora ingerentes. Hęc tyrānis & summa in Deum pariter & homines impietas, grauem vindictam supremo numini extorquebat. Quibus accedebat immanis crudelitas & inclementia in subditos, prodigalitas, superbia, & luxus omnium ordinum, Dominorum, inquam, Teutonicorum, deinde Equestrium & nobilium, denique ciuium & plebeiorum.

Priusquam Teutonici Ordinis Domini, Ordinisque magister ad Lutheranismum desciscerent, religiosa pietas, suspicienda grauitas, moderata sobrietas, diligēs religionis obseruatio, decentissimus in moribus & habitu

D 5 cultus

cultus, conspiciebatur. Precum horariorum pensum, religiosissimè persoluebāt. Deorum delubra pietate, domos suas gloria & fortitudine, decorabant. Vbi Lutherana dogmata amplecti cœperunt, hæc omnia semel, & simul excutere, luxuria cum superbia animos eorum inuadere, rapere, consumere, sua parui pendere, habitu & moribus summam ferociam, fastum ac dominandi libidinem ostendere: pudorem, pudicitiam, diuina humanaque promiscua, nil pensi neque moderati habere: subditorum miserijs & egestate crudeliter abuti, perinde quasi iniuriam facere, id demum esset imperio vti. Ab eo tempore plebis conditio misera, longè miserima esse cœpit. Siquidem vbi Teutonicus Ordo sua per luxum & libidinem prodegerat, & familiares opes defecerant, ad summam crudelitatem & auaritiã ipsa inopia eos stimulabat. Cœpère igitur plebem deglubere, tributis & exactionibus emungere, & quos extrema premebat egestas, ab ijs diuitias, & luxus instrumenta conquirere. Animus sanè malis imbutus artibus, & quotidianis voluptatum illecebris delibutus, haud facillè libidinibus carebat, eoque profusius venere & luxu æstuat. Augebat eorum audaciam vsurpatum hæcenus in miseram plebem

bem imperium, vtpote quæ ita seruire & subijci videbatur, vt non sui, sed alieni iuris: non liberi, sed serui haberentur. Si quid criminis designabant, pro rei atrocitate flagellis & fustuario multabantur à Germanis, quorum fortunæ vbi per luxum, & intemperantiam collaberentur, eò impotentiùs in miserū vulgus sæuiebant, vt flagris & verberibus, si quid habebant frumentorum, ouium, gallinarum, mellis & id genus, extorquerent. Intereà seruilis & inops plebecula, allia & arborum radices & cortices famelico ore priuatim arrodere, aquam farina commixtam potare, in extrema miseria & egestate vitã trahere. Equester etiam ordo Lutherana doctrina iam assumpta, quantum à pristina virtute degenerauerit, morum & vitæ mutatio declarauit. Antea siquidem domi militiaeque intenti libertatem, religionem, patriam, parentesque armis protegere. Nò illis labor insolitus, non locus vllus asper aut arduus erat, nò barbarus hostis formidolosus, magisq; in decoris armis & militaribus equis, q̃ in scortis, atq; cõiuuijs libidinem habebant. Sûma erga plebeios beneuolentia & humanitate præstabant, dandisque potiùs quam accipiendis beneficijs amicitias parabant. Ceterùm vbi prisca religione spreta, prurientes auribus ea quæ ventri adlu-
bescebant

Vide Munsterum in Cosmographia in tractatu de Livonia.

bescebant dogmata amplecti cœpere, pristina illa integritas & constantia à stirpe interiit, virtus hebescere, pietas languescere, per luxū & licentiam bona patria dissipare, aliena rapere, sua prodigere, delubra spoliare, sacra profanaque omnia contaminare, dormire prius, quàm somni cupido esset, non famem, non sitim, neque frigus, neque lassitudinem opperiri, sed ea omnia luxu antecapere. Hæc eos, vbi priuatę opes defecerant, ad sacrilegia, rapinas, direptiones, & violentas exactiones incendebant. Igitur in plebem & agricolas supra omnem modum sæuire, tyrannicè & barbarè, intolerandam in eos crudelitatem exercere, donec quod habebant commeatus aut pecunię penitus extorquerent. Nec equester duntaxat Ordo his vitijs subiacebat, sed contagio quasi pestilètia vniuersam Rempublicam & ciues peruasit, vt omnia luxum, libidinem, fastum & superbiam repræsenterent. Ad eò fascinauerat eos noua illa doctrina, vt mentem simul & rationem excantasse videretur: & quæ diuinis humanisque legibus essent contraria, ea Christianæ vitæ & Euangelio consentanea censerent, quodque summa erat iniuria, id demum iure se facere existimabant, quia Lutherana doctrinæ præconum exëplo faciebant. Itaque vbi in Deos diuo-

diuorumque templa & simulachra sæuitum est, sacerdotes & inferioris fortunæ homines, pauperes, debiles, & elemosynarij contumelia & inuidia grauabantur. Erat iuxta ciuitatem (vt fit) leprosorium, eidemque adiuncta Ecclesia D. Georgio martyri sacra. Hæc quondam in trophæum & gratiarum actionem, obteta aduersus Rutenos insigni quatuor præliorum victoria, maiores religiosissimi mortales ibidem extruxerant. Verum anno 1554. vbi Lutherana contagio Torpatensium animos peruasit, vt sacrilegia & rapinæ licitæ & concessæ putarètur, leprosorium vnà cum delubro demoliuntur: hinc aras, simulachra, diuini cultum, & sacerdotes: illic miserabili morbo & squalore afflictos inopes & laceros eiciunt, leprosorium in tabernam, templum in stabulum conuertunt. Facinus sanè tali Euangelio dignum. Sacerdotes quibus contumelijs, qua inuidia priuatum & publicè premebantur, longum esset recensere, vsque ad eò omnia profanata erant. Vnum præ ceteris tunc memorabile exemplum contigit, dignum quod nulla obliuione oblitteretur. Anno 1556. ipso assumptæ virginis matris die, Torpati sacerdotes ex recepto Ecclesiæ more diem illum solennem habebant, & magno, vt solet, cum apparatu,

& crebro cāpanarum pulsu, diuinum cultum peragebant. Eam celebritatem & reuerentiam Virgini matri ad summi numinis honorem exhibitam, cū matrona quædam incendio inuideret, mandat pedisseque, vt balneum apparet, caminum instruat, se cum marito lauari decreuisse. Illa solennis festi dominam submonere, vtque alium in diem transferat, rogare. Matrona repente excandescens, quid, inquit de Maria narras, fuit illa mulier similis mihi, nec vllius potentia, aut gratia, prerogatiuam habet, tu iussa mea exequere. Famula ne dominam grauius exacerbaret, imperata perficit. Vbi ad caminum ventum est, arida ligna, quæ alioqui haud difficulter flammam excipiunt, nulla ope, nullis nutrimentis accendi potuere. Illa vbi se vndique vertit, laboris frustranci pertasa, tectum omne ardere conspicit, nec vlla vi, flammam restinguere valet. Ignis primò ipsum balneum vastat, mox duas contiguas aedes ingenti ciuium omnium terrore populatur. Confluit extemplò vniuersum vulgus, & vix tandem latius serpere incendium prohibent. Postero die lignorum fasciculus camino ingestus, omnino incombusus comperitur. Hæc & horum similia erant grauis Dei indignationis & venturæ vindictæ prænuntia, de qua priusquam

quam dicere aggrediar, pauca de Lutheranorum ritibus, caremonijs, & leui inconstantia præmittemus.

Ordinis sacramentum prorsus reijciebant, ipsi ordinandorum sacerdotum, & Ecclesiarum facultatem sibi vendicabant: modum autem ordinandi sæpius immutauerunt. Principio ordinandus coram Senatu in genua prostratus, singuli Senatores in eum suffilabant, quo denotabant, se Spiritum sanctum in eum profunderè. Deinde consul ordinatum ad suggestum deducebat. Postea hoc ordinandi ritum abolito, concionatoribus insufflandi potestatem contulerunt. Tandem & hic modus abrogatur, supremo concionatori tribuitur, vt suo suffragio quempiam pastoris munere vel dignum vel indignum censeat. Qua facultate supremo Lutheranorum præconi collata, accessit eum textor quidam in suburbio Torpatensi degens, impetrat potestatem in vicinis pagis publicè è suggestu docendi, qua obrenta, concionatur, baptizat, absoluit, Eucharistiam dispensat. Cū autem fortè panis ei deficeret, illè cœnam institurus, protinus accepto raphano, in orbiculos illum conscindit, atque ita Missam vna cum cœna peragit, haud simpliciter contra receptam Ecclesiæ consuetudinem delinquens,

quens, & augustissimum sacramentum iudificans, contigit hoc anno 1555.

In pœnitentiæ Sacramento diuersum variumque modum obseruabant. Principio ex præscripto Lutheranae doctrinæ soli Deo delicta confitebatur. Postea hoc ritu abrogato, decem vel circiter cõiunctim in genua coram concionatore prouoluebantur: quo facto, ille eos Deo confiteri iubere & absolutionem veniamque promittere. Hic confitendi modus ubi inoleseret, res nõ indigna memoratu in pago tribus miliaribus ab vrbe Torpatæ si dissito conrigit. Lutheranus quidam ecclesiastes, triginta agricolas ad genua prouolutos habebat, quos confessione facta Sacramentali absolutione à peccatis exolucere debebat. Mandat igitur, omnes Deo confiteantur, solidam siue nummulum (quem confitentes parrocho dare consueuerant) altari imponere iubet, deinde certam absolutionem promittit, pœnitentiam & satisfactionem commentum esse Papisticum, hanc neuiquam requiri. Erat autem inter confitentes quidam præ alijs simplici ingenio, qui Domino suo iuuen cum furto abegerat. Hic absolutionem consecutus, domum lætabundus reuertitur, gaudium ex felici cõfessionis successu cõceptum, protinus in vxoris sinu effundit. Metuebam, inquit,

inquit, cum Parochum confessurus accederem, ne iuberet abductum taurum restituere, aut gehennæ incendio me furtum luiturum minaretur: iam autem vno recepto solido, omnes mihi noxas ignouit. Non multo post idem alium bouem furatur, & in ipso facinore deprehensus, fateretur neuiquam se illud admitturum fuisse, si non tam facilem se præbuisset parochus in delictis ignoscendis, eaque res plurimos ad grauissima facinora stimulabat aded vt summam in domestica familia perfidiam patresfamilias perentiscerent, actam exitiales istius Euangelij fructus grauiter abominarentur.

Eodem ferè tempore, horrendum & memorabile factum contigit. Erat Torpati quidam Lutheranae doctrinæ præco, Hermanus, mirè versutus & facundus in abducendis hominibus à Catholicismo ad Lutheranismum, annisq; triginta summum egerat illius doctrinæ præconem. Hic pellione VVittenbergensi Lutherana dogmata primùm docente, monachus erat Minorita, iuuenis, at pro ætate in concionibus non inexercitatus, accedit pellionem, offert illi suam in propagandis Lutheranis dogmatibus opem, monasticum cucullum in publica concione abiecturum. Pellio eum in cooperarium suscipit,

D negotia-

negotiatores nouo habitu eum donant, virginem monasticam in vxorē adiungunt, præficitur vasis argenteis Ecclesiæ, in vsum pauperum custodiendis. Pellione ex vrbe secedente, cuius causam supra retulimus, paulatim magnam auctoritatem apud omnes sibi conciliat, vt solus nobilium infantes baptizaret. Magnam opum diuitiarumque vim congerit, meretur prædia, domos, agros, in liberorum subsidium: primaque atque itidem secunda vxore demortua, tertiam ducit. Verum anno 1554: graui morbo corripitur, & sex diebus elapsis horrenda voce exclamat, se damnatum, nullam salutis consequendæ spem reliquam, & quotquot isti voluptariæ Lutheranorum sectæ sese dederent, damnationi obnoxios, atque ita toruo aspectu, & oculis horribiliter flammaram in modum lucentibus, desperabundus extremum spiritum exhalat, omnibus Christianis exemplum ac documentum relinquens, quam periculo sum sit ab Ecclesiæ vnitatem ad nouas doctrinas desicere.

DE

HISTORIA 26
DE PVBLICA
EAQVE TERRIBILI LIVONVM VINDICTA, QVAE RELIGIONIS mutationem & vitam in omne flagitiorum genus proiectissimam secuta est.

Bosteaquã Liuones spreto & profligato Catholicismo & Religione à maioribus accepta, Lutherana dogmata susceperant, varijs diuersisque plagis grauissimè afflicti sunt, adè vt vniuersa elementa in vindictam & perniciem eorum conspirasse viderentur, in xtra illud regij Prophetae. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. In primis terra, quæ omnis frumenti copia abundare consueuerat, nihil penè frugum & fructuum proferebat, vt grauis annonæ caritas subsequeretur. Aqua quæ prius piscifera, deinceps nihil ferè piscium dabat. Aër hominum saluti à Deo tributus, nunc venenatus & contagiosus, innumeros morbos & grauem pestilentiam generabat. Igne Ruteni & Mosconitæ vniuersam Torpatensem prouinciã miserabiliter populabatur,

Sap. 50

D 2 Neruiam

Neruiam & Velinam oppida cum plurimis vicis & pagis prorsus vastabant. Grauis quidem hæc erat vindicta, sed magna supremi numinis erat clementia tam diu immania gentis pertinacissimæ facinora dissimulasse, & vltionis gladium suspendisse, si fortè mansuescerent, & resipiscentiam meditentur. Quæ cum non sequeretur, & tertij iam hæredes in Lutheranorum possessiones succederent, ne de malè partis diù gauderent, principio durissimo caritatis & penuriæ flagello afflicti sunt. Siliginis enim mensura, quæ apud Germanos 12. modios conficit, vulgariter *een last* appellatur, prius viginti marcis emebatur, anno verò 1557. Torpati nonaginta marcis comparabatur. Marcæ autem septem, duos daleros conficiunt. Vnde factum, vt agricolæ crescente penuria & famis necessitate cogente, lini baccas hordeo aut siligini commixtas molerent. Abundabat & piscibus Liuonia, priusquam ad Lutherana dogmata deficeret. Præterlabitur Torpatum fluuiolus quidam, *die beke* appellatus. Per hunc Moschouij Plefcouiam (ciuitas ea est Moschouia) nauigabant sex miliaribus emensis exonerabat se fluuiolus in mare quoddam, die Peus vocatum, piscium mirè ferax, duodecim miliarium longitudine, septem fluminib. in illud profu-

profluentibus. Mare illud in Oceanum vno alueo fertur, qui de alto scopuli vertice rapidissimo cursu torrentis in morem præcepserit, tanto cum sonitu vt accola propinquiores, hebescente paulatim ex terribili & continuo fragore auditu, surdi reddâtur. Ex hoc mari, quod Peusam diximus, tanta piscium affluentia proueniebat, vt in Hollandiam, Lubecum, aliasque finitimas regiones eos auherent, pisces illi lupi Torpatenses vocitabantur. Ceterum antiqua religione profligata, & Lutheranismò inualecente, quantumuis spretis ieiunijs, carnibus victitarent, summa tamen piscium inopia laborabant.

Insuper & pestilentia tam atrociter sauebat, vt anno 1551. Torpati trimestri spatio 14. milia hominum morerentur. Tanta erat ægrotantium multitudo, vt in cæmiterijs, in campis, in propatulo passim & iuxta sepes plurimi miserabiliter decumberent. Cadauera linteis inuoluta, in vnâ scrobe accumulabantur. Dignum animaduersione erat, quod in commune hac lue, quæ vniuersam ciuitatem peruadebat, Catholicorum sacerdotum, quorum tredecim quotidie horas canonicas in cathedrali Ecclesia decantabant, nemo corripiebatur. Lutherani verò concionatores vniuersi, excepto vno Hermanno, qui post-

modum, vt supra retulimus, horribiliter ex-
pirauit, è medio sublatis sunt. Sed nec hoc fla-
gello emendari sustinuerunt. Proceres enim
ciuitatis qui grassante contagio secesserant,
reuertentes, alios nouæ doctrinæ præcones
constituunt, prioribus longè nocentiores.
Quin & pestilentia culpam & numinis offen-
sam Papistis imputabant.

Tertium igitur flagellum Liuoniensibus
superuenit, bellum & exterminium, & imma-
nis barbari populi crudelitas, & præter hanc
intestina prælia & mutuæ lincinationes. Si-
quidem bienni spatio, tria grauissima cruen-
tissimaque bella sustinuerunt, quorum tertiu-
m extremam illis perniciem & excidium ar-
tulit. Primum inter Archiepiscopum Rigen-
sem & Ordinis Teutonici magistrum, orie-
batur anno 1558. Belli causa erat, quod ciues
Rigenses post assumptum Lutheranismum,
aras, delubra & monasteria diruerant, Cano-
nicos & sacerdotes vrbe mouerant, in Eccle-
sia Cathedrali Lutheranum dogmatistam con-
stituerant. Huius iniuriæ & violentiæ memor
Archiepiscopus, certam pecuniarum sum-
mam à Rigensibus multa loco exigebat. Ce-
terum Ordinis Teutonici Magister Luthera-
næ factioni consentiens, Rigenses defendere
& excusare parabat, asserens, iure id patratum
nullamq;

nullamque pœnam commereri. Nec multò
post publicum comitiorum diem indicit Ma-
gister in ciuitate sua VVendési, vniuersos Or-
dinis milites per Liuoniam conuocans. Ve-
rum quia indicendorum comitiorum ius Or-
dinis Magistro non competebat, sed Archie-
piscopo Rigensi, ea propter Archiepiscopus
ad comitia non accedebat. Concludebat ibi-
dem vniuersus Teutonicorum militum or-
do, bello appetendum esse Archiepiscopum.
In quod vbi communibus suffragijs totus
ordo consenserat, vnus Ordinis Mareschal-
lus, secundus à Magistro, nonnihil reclama-
bat, non iniquum affirmans, si Archiepisco-
pus illatam iniuriam & damnum exactio-
ne sarciri peteret. His dictis vniuersus Teuto-
nicorum Ordo Mareschallo indignatur, ar-
ces & præsidia ei eripiunt. Ille in Poloniam
secedit. Rex Polonus intellecta causa, libe-
rum illi comiteum per vniuersum regnum
Poloniæ cõcedit. Episcopus Torpatensis Her-
mannus, vt erat inconstantis animi, facilè ad
oppugnandum Archiepiscopum Rigensem in-
ducitur. Iidem & Riualiensis & Habselensis
Episcopi, Ordinis magistrum metuentes, fa-
cilè in eius castra concedunt, atque ita vni-
uersa Liuonia in Rigensem Archiepiscopum
hostiliter cõspirat. Eodem igitur anno, paulò

post natalem D. Ioannis Baptistæ, Ordinis Teutonici Magister vniuersos Præfectos, Commendatores vocant, conscribit, quibus copias suas tres cōiungunt Episcopi. Instruētissimo exercitu & magno cum apparatu Rigensem prouinciam hostiliter inuadunt. Archiepiscopus Rigēsis tametsi defensionē meditaretur, & plurimos nobilium sibi adiunctos haberet, infirmior tamen erat, & viribus impar, vt tanti exercitus vim sustinere & propulsare neutiquam posset. Quibusdam ergo equestris Ordinis ab hostibus captis, quibusdam etiam interfectis, inter quos & Satrapa, profugit Archiepiscopus in arcem Kokenhusen, persequitur eū Ordinis Magister, arcem cum omnib. copijs suis obsidet, tormentis ac machinis bellicis muros inuadit. Erat arx natura loci munita, in edita rupe cōstructa, inexpugnabile propugnaculum. Sed cū neque valida hostium manus, obsessos fatigare, nec crebra bombardarum tormētorumq; tonitrua muros laxare quidquam possent, sola fames & penuria profugos ad ditionem compulit. Igitur omni commeatu destituti, languentibus præ inedia neruis, & viribus non lassitudine sed fame cōsumptis, progreditur ad suos commilitones Archiepiscopus, & quàm deploratus sit rerum status

exponit.

exponit. Indecorū quidem & ignominiosum esse hosti se dedere, sed omnia vitæ posthabēda. Turpitudinem illam tēporis iniuria rerū asperitate, & summa necessitate facilè excusari, ac demum secūdis rebus, & prospero fortunę statu oblato, pristina virtute prorsus aboleri, amissamque gloriam cum fœnore recuperari posse. Nunc quia nullus exercēdæ virtuti & præclaro facinori locus, stultum esse inedia ac tædio se conficere, omnemque melioris fortunæ & rei præclarè gerendæ spem vnā cum vitā à stirpe rescicare. Suadere se vt positis armis spontaneam ditionem, voluntariæ acerbissimæque morti præferat. His dictis, vbi nullum commilitones viderent effugium, portis adappertis hostibus sese dedunt, octauo obsidionis die. Ordinis Teutonici Magister Archiepiscopum, non vt vnus Prouinciæ ac ciuitatis consortem & conciuem, non vt antiquę Brandenburgiorum prosapie Principem, non vt Præsulem & Primatem, sed veluti barbarum hostem tractat, contumelijs & probris ludificatur, ac demum carceri mancipatū, toto penè anno vincitum continet. Omnibus præterea oppidis, arcibus & pagis mulctat, vt nihil iam penè à priuato differret, nisi quòd Principis cōditio præter ablatas exuias, carcere etiam grauabatur.

D 5

SECVN-

SECUNDI BELLI
HISTORIA INTER ORDI-

NIS TEUTONICI MAGI-

strum & Regem Po-
loniæ.

Rex Polonus tanti principis seruilem captiuitatem intelligens, rei indignitate commotus, Episcopum quendam in Liuoniam ad Ordinis Magistrum ablegat. Qui ubi VVendam venit, huiusmodi oratione Magistrum alloquitur: Grauius, & iniquo animo serenissimus Rex sustinet, Amplissime Magister, nepotem suum Archiepiscopum Rigensem, tam duro & illiberali carcere vincum detineri, qui viro Principi ex illustrissima Brandeburgensium Marchionum familia progenito, & Archiepiscopali dignitate præfulgenti, nulla ex parte nec conueniat nec debeat. Belli quoque causam & originem, quo clarissimum principem, non minus hostiliter quam vnanimiter obruistis, veriùs quam superastis, neutiquam iustam satis existimamus. Proinde hæc Regis mandata ad te deferimus, serenissimum Regem vel pace & mutua amicitia salua, Illustrissimum Archiepiscopum indignissimo carcere exoneraturum,

HISTORIA BELLI LIVONICI. 30

turum, vel regia manu & militaribus copijs id effecturum. Sanè si homini libero grauis est seruitus, utique viro principi grauis est captiuitas. Mandauit etiam regia maiestas, vt æquis conditionibus omne dissidium inter Reuerendissimum Archiepiscopum & Ordinem vestrum amanter componamus, pristinamque amicitiam vobis, vestræ autem prouinciæ tràquillitatem & pacem restituamus. Hac legatione perlata, Ordinis Teutonici magister, neque exonerandi Principis, nec componendorum dissidiorum spem præbuit. Itaque re infecta legatus ad Regem reuertitur. Rex vt operam suam irritam cognouit, Ordinis Magistro, omnibusque eius auxiliarijs bellum denuntiat. Quo nuntio accepto, confestim Ordinis Magister ingentem thesaurum in Germaniam mittit, ad exercitum ibidem conscribendum. Adducuntur aliquot equites & sex peditum manipuli seu vexilla in Liuoniam. Rex Polonus haud diu moram trahens, infestis signis in Liuoniam tendit. Equitum simul & peditum centena millia in armis procedunt. Ordinis Magister, vniuersos quos habebat Praefectos & Commendatores, Regi obuiam producit, quibus copias suas coniungunt tres Episcopi, Torpatensis, Riualiensis & Habselensis. Tor-

Torpatensis Episcopus, quoniam grandæuus erat & bello inidoneus, ipse in acie non prodit: sed Cathedralis Ecclesiæ Præpositum vnâ cum omnibus Prouinciæ suæ nobilibus ablegat. Habebat Ordinis Teutonici Magister, equitum Germanorum septem millia, & aliquot millia Rusticorum & agricolarum. Præterea sex peditum Germanorum vexilla. Ingens hic & numerosus erat exercitus sed Polonico longè inferior, quæ res Teutonici magistri animum facilè consternabat, vt infestis signis cum hoste configere temerarium arbitraretur. Tanta igitur Polonorum manu conspecta, victoriæ spem abijcit, legatum ad Regem, qui præfens in armis erat, mittit, prælium deprecatur, & pacem efflagitat. Rex clementer & benignè respondet, nisi viduas, pupillos, orphanos & inopes miseraretur, nullo pacto pacem se cum Magistro initurum: sed vt Ordinis Magister agnoscat, inquit, me sanguinis aut belli sitientem non esse, ipse, si pacem expetit, huc intra octodecim horarum spatium ad nos accedat, Principemque & Archiepiscopum Rigensem vnâ adducat, dein pacis & concordiæ rationem inibimus. Et ne metum inanem prætendat, liberum illi per vniuersum exercitum nostrum, accessum damus. Teutonicus Magister hoc responso ac-

cepto,

cepto, confestim Archiepiscopum qui non longè aberat, custodia liberari & à vinculis educi iubet. Quo aduentante, vterque ad Regem concedit, trecentis equitibus stipati. Ibi cum vtrò circoq; de pace ageretur, tandem concluditur, Ordinis Magistrum debere Archiepiscopum in pristinum statum restituere, omneque damnum ac detrimentum eidem illatum rependere. Præterea Regi Polono stipendia in milites erogata refundere. Graues hæ erant Ordini Teutonico pactiones, attamen metu grauioris mali vrgente, consensit magister Teutonicus, & præstitit. Pace his conditionibus impetrata, mussitabant Liuones, Ordinis Magistrum omnem prouinciæ thesaurum, quem suo idiomate, *den tresel* vocant, præposterè, temerè, & nullo cum fructu aut ciuium vtilitate, imò graui cum damno prodegisse, videlicet, exercitu è Germania cōscripto, eoque præmijs & stipendijs anno integro sustentato, Archiepiscopo in integrum restituendo, & Regi Poloniæ bellicos sumptus refarciendo. Porrò thesaurus hic ex dominorum Teutonicorum, & Canonicorum Cathedralium Rigensium bonis in ciuitate VVendensi, quæ in prouinciæ meditullio sita erat, colligebatur, ita vt quotiescunque Domino alicui Teutonico aut Canonico huma-

nitus

nitus aliquid contingeret, de bonis suis testamenti factionem non haberet, nec facultates suas cognatis, amicis aliusue hæredipetis legare posset, sed ad thesaurum omnia referabantur, eum in sinem, vt si Mochouita bello Liuones appeteret, haberent vnde externis & auxiliarijs militibus stipendia persoluerent.

TER-

32

TER TII BELLI
DESCRIPTIO QVOD MAG-
NVS RVTENORVM IMPERA-
tor contra Liuones gessit anno 1558.
quo ciuitas & prouincia Torpaten-
sis à Principe Moschouitarum
expugnata, victa & sub-
iugata est.



Trox & memorabile prælium
gesserunt Liuones contra Ru-
tenos anno domini 1500. sub
Ordinis Teutonici Magistro
D. Vvaltero à Plettemburg,
excelsi animi & magnæ indu-
striæ viro. Nondum Lutherana doctrina aut
vlla hæresis eos à Catholicismo transuersos
egerat, sed præscam auitamque religionem
summa pietate & fide colebant. Igitur cum
Teutonicus Magister cum Rutenis con-
fligere statuisset, publica ieiunia & solen-
nes Litanias triduo seruandas indicit pau-
lò post Natalem virginis matris, vt commu-
nibus votis diuinam opem & prosperum
prælij euentum obtinerent. Conscribit de-
inde Magister Præfectos & commendato-

res

*De hoc n
fallor, præ-
lio paulò al-
ter referre
Sigsfeldi libri
in hystor.
Moschouit.*

res vniuersos cum nobilibus totius Prouincia, quibus copias & auxilia sua coniungunt quattuor Liuoniae Episcopi, Rigensis, Torpatensis, Riualiensis & Habscensis. Rigensis mille Germanos equites adducit, Torpatensis, quingentos. Riualiensis & Habscensis, iidem quingentos simul, ita vt Magister Teutonicus septē haberet. Germanorum equitum millia, & quinque millia Curonum, qui populi sunt Liuoniae. Hoc exercitu Magister Rutenorum fines innadit, arcesque & oppida quaedam expugnat. Inde ipso exaltationis Crucis die ad urbem Pleskouiam tendunt. Iuxta hanc sita est planities duorum miliarium amplitudine, in quam vbi deuenēre, obuiam illis procedit Rutenorū Imperator, cum centenis millibus armatorū qui in duodecim acies distributi erant, His adiuncta erat ingens Tartarorū manus triginta millia conciens. Itaque Teutonicus Magister, vbi aut turpiter fugiendum, aut ingenti cum animo aduersus tantum exercitum, barbarie & armis formidabilem, procedendum videt, nequidquam de victoriae spe remittens, fortunam belli tentare statuit, & paucis suorum animos confirmat. Praeclaram sanē victoriam, inquit, o milites hodie nobis obuenturam de numinis benignitate & vestra omnium fortitudine

tudine facile mihi promitto. In caussa iustissima, Dij non possunt non esse propitij. Vos tantummodò pristinae strenuitatis & constantiae memotes, existimate vos, decus, gloriam, patriam, libertatem, & religionem in dextris vestris portare. Alios fortasse ingens barbarę gentis multitudo animo deijceret. Vos verò milites dum considero, & cum vestra facta aestimo, quibus parentes, patriam, aras, & focos, auitamque aduersus hæreditarios Catholicę pietatis hostes, fidem sapenumero tutati estis, eandemque ad extremum vite, armis & sanguine vestro vindicare cupitis, magna me spes victoriae tenet, animus, ætas, virtus vestra hortantur. Hęc vbi dixit non multò post vtrinque signa canuntur, Teutonicus Magister glandes ferreas & globos tormentarios velut crebra continuaque tonitrua in Tartaros contorquet, inde maximo clamore infestis signis vtrique concurrunt, gladijs, lanceis omniq; telorum genere res geritur. Tartari, & Moschouij arcubus & sagittis assueti, densissimo creberrimoq; telorum iactu æthera obumbrant, quę tamen vniuersa penē irrita aërem verberant, donec vltro in terram decidunt. Ingens ibi sonitus, ad cælum attollitur, bombardarum fulmina, armorum fragor, vulneratorum gemitus, pereuntium cla-

mor, tympanorum sonitus, equorum hinnitus, omnia & Martem & mortem referebant. Tartari ubi praelio fusi fugatique, succedunt duodecim Moschouiorum acies, animis & virtute recentes. Teutonici cæsis Tartaris ubi bellum recrudescere sentiunt, quanto maiorem hostium vim prioribus succedere cōspiciūt, tanto maioribus animis in hostes irruere, & velut ab integro noua virtute resumpta, ingēti cum fremitu cæsim punctimq; confingere, sauciare, confodere, vergente iam ad vesperam die qui ex Moschouijs supererant, furrim se Plescouiam subducunt. Praelio ita dirempto, compertum est ex Teutonicorum agmine vnum duntaxat interemptū, Moschouiorum verò & Tartarorum circiter centena millia trucidatos, vt duobus miliaribus cadauera passim dispersa iacerent. Memorabilis hic erat triūphus & singulare virtutis & fortitudinis exemplum, ac dignum quod sempiterna memoria donatū, nunquam aboleatur. Moschouiorum Imperator (qui ipse in aciem non prodierat) cum summo stupore admiratur tantū exercitum tam exigua manu tā turpiter cæsum & prostratum, atque ilico pacem quinquaginta annis cum Teutonibus firmat. Qua inita, omniq; bellico tumultu cōposito, legatū magnus Moschouix Dux ad Ordinis

magi-

magistrum ablegat, rogans, vt vnum quempiā ex ferreis illis militib. (Ruteni Teutones ferreos vocabant) qui tantam Moschouiorū multitudinem fuderant, ad se mittat, se vnā cum legato obsidem mittere, ferreum illum virum non inhonoratū indonatumq; ad suos reuersurum. Magister Teutonicus haud inuitē vnum ē militibus cataphractum equitem Moschouiam versus destinat, quem ubi Moschouia Princeps aduentare accipit, confestim vniuersis Ducibus, nobilibus, & Præfectis suis denuntiat, vt præscripto die Moschouiam conueniant, nouū visūq; dignū spectaculum eos habituros. Destinato die cataphractus in apertam planiciē iuxta aulā Principis, numerosa (vt fit) populi corona, circumstante procedit, & huc illucq; obequitans, petasum ē capite cuiuspiā circumstantis abripit, eumq; in hyppodromi centrum projicit. Illico pleno cursu lanceam in petasum dirigit, eumq; dicto citius cuspide arreptum terra subleuat. Moschouius Imperator eam equitis agilitatem conspiciens, vrsi in morem (solent id facere Moschouij admirantes) barrit. Rursum Cataphractus demissa paululum lancea, in oppositū parietem perniciosissimo cursu fertur. Ac tameti parietē inuasurus videretur, ille ramē protinus intacto muro hastam reducit,

E 2

& equum

& equum retrahit. Illud spectaculum denuò Principis omniumque circumstantium admiratio subsequitur. Resumpta iteratò lancea plenissimo impetu in parietè fertur, hastamque, circumuolitantibus vndiq; fragmentis, confringit. Hæc vbi omni dexteritate expeditè gessit cataphractus, vocatur ad Principem, & accepto insigni munere ad Teutonikum Magistrum remittitur. Sæpenumerò idem D. Philippus, qui hæc omnia mihi comunicauit, Torpati cum præstantibus equestri Ordinis viris iam grandæuis sermones contulit, qui hæc se vidisse & prælio interfuisse referebant.

Vbi iam quinquagesimus à pace firmata ageretur annus, videlicet, anno 1550. vt pacte inducię propediem essent expiratę. Reuerendissimus Princeps D. Iodocus à Reck, Kpiscopus Torpatensis magnæ virtutis, & pietatis vir, magnis impendijs & sumptibus denuò quinquenales inducias à Rutenorum Imperatore impetrat, talibus conditionibus, si templa Moschouiorum Rigæ, Riualix & Torpati diruta, restaurarentur: Præterea si è prouincia Torpatensi, tributa quæ exigebat, penderentur, & alijs, si quæ essent, querelis, satisfieret. Quæ omnia si præstarent, pollicetur Moschouius quindecim annorum pacem deinde

deinde concessurum. Igitur anno 1555. hæc quinquennali pace iterum expirante, Teutonicus Magister, & Episcopus Torpatensis Hermannus rursum legatos ad Moschouix Principem ablegant, pacis expetendæ causâ. Quibus Moschouius Dux respondet, nullam se pacem Germanis indulturum, quandoquidem basilicas suas non reædificassent, nec tributum persoluissent. Ceterum intercedentibus Moscouij Ducis Consiliarijs, triennales inducias promittit, modò spondeant, proximo triennio euerfa phana restauraturos, & ex prouincia Torpatensi, singulos homines quotannis singulas marcas tributum loco persoluturos, exceptis Catholicæ religionis sacerdotibus quos ab hac præstatione eximebat. Hæc si facturos se promitterent & sigillo testarētur, triennem pacem in gratiam Consiliariorum ac Ducum suorum concessurum pollicetur. Subsignant legati, maxime quoniâ Episcopus Torpatensis mandarat, vt saltem quouis modò pacem referret. Erat aut̄ consuetudinis, vt et Moschouix Princeps legatum ad Episcopum mitteret, qui firmandæ & stabiliendæ pacis causâ crucem quandam osculabatur. Legatus vbi Torpatum venit, recusat crucis osculum, nisi Episcopus & ciuitas Torpatensis idem q̄ legati Torpatenses

subsignauerant, suo quoque sigillo communi-
rent. Habebat id temporis Episcopus Torpa-
tensis Cancellarium Lutheranis dogmatibus
impensè fauentem, qui & postea anno 1558.
expugnata ciuitate Torpatensi, Habselię in car-
cerem coniectus, tandē vt facinorosus igno-
miniosa morte vitam clausit. Is Episcopo sua-
det, vt securè quod petebatur, subsignaret, ac
postea spem Moschouiorū cluderet, Liouones
eius esse roboris & potentiae, vt Moschouius
Princeps haud facile eos bello esset appetitu-
rus. His ita peractis, Moschouij legatus ad
Principem suū reuertitur. Interea nihil eorū
quae postulata & pacta erant, praestant Liuo-
nes. Elapso igitur triennio, bellū hunc in mo-
dum exoritur anno 1558. circa Epiphaniam.

Habebat id temporis Teutonicus magister
sex militum Germanorū vexilla, quos aduer-
sus Regem Polonię in aciem produxerat. Igi-
tur anno 1557. circa ferias Michaëlis vereda-
rium ablegat Teutonicus Magister ad magnū
Moschouiae Ducem, sciscitatur an legatos ad
se mittere debeat pacis diuturnioris firman-
dae causa, an verò pace recusata bellū eligat.
Respondet Moschouius, Magistrum adhuc
sex militum habere vexilla, quos si seruare
proponat, nihil opus esse legatis, nolle se ad
inducias compelli: sin eos dimittere paratus
sit,

fit, mittendos esse legatos, & de pace sancien-
da tractandum. Hoc respōso accepto, omnes
Liouoniae proceres congregantur, & quid fa-
ciendum consulant. Quidam erant grandio-
res suadent retinendum esse militem, facile
animaduerti Moschouium Principē bellum
meditari, quandoquidem, conuentiones ini-
tas Liouones non praestitissent: nequaquam
igitur dimittendum exercitum, sed totidem
signa denuò conscribenda, caque in finibus
Rutenorum collocanda. Teutonicus verò
Magister cum Lutheranis quibusdam respon-
dent, non esse dandam Moschouio belli oc-
casionem, dimittendos esse milites. Si quid
deinde moliatur Moschouius, superesse ad-
huc viros & vires, quibus illi aduersum iri
possit. Haec sententia praeualuit, & ilicò ex-
ercitu dimisso paulò post Martini ferias Teu-
tonicus Magister legatos cum centum equi-
tibus magno cum fastu, splendore & appa-
ratu ad Moschouium mittit, quibus Satrapā
suam coniungit Episcopus Torpatensis. As-
sumunt praeterea Lutheranae factionis Eccle-
siasten. Vbi ad magnum Moschouiae Princi-
pem ventum, Princeps atrium suum auro vn-
dique resplendens ingreditur, aureū solium
occupat, corona regia & sceptrō insignitus.
Apponitur mensa deaurata, seniores Cōsiliarij
E 4 numero

numero 12. lateri sinistro assident, qui vniuer-
 si ex recepto more, quoties consilium agitari
 contingit, vestes Leuiticas aureas induiti; ma-
 gnus verò Dux palla choralis seu sacerdotali
 circumdatus. Assumit præterea magnus Dux
 duos interpretes qui Germanicam simul &
 Rutenicam linguam callebāt. Interrogat Mo-
 schouius an pacem expeterent, Asserunt illud
 Liuones, simulque scyphos deauratos à Tor-
 patensi Episcopo & Ordinis Teutonici Ma-
 gistro Principi Moschouio missos, offerunt.
 Recipit eos Moschouius & in proximum tri-
 clinium deferri iubet. Moschouius princi-
 pium recenset eorum perfidiam, qui toties pa-
 ctas conuentiones elusissent, nec quidquam
 eorum quæ sponponderant, & sigillis confir-
 maauerant, præstitissent. Maiorum præterea
 pietatem, fidem & heroicam virtutes refert, à
 qua ipsos planè degenerasse ait, cultum diui-
 num à maioribus acceptum abrogasse, basili-
 cas euertisse, sacerdotes & monachos profligasse,
 denique nullū pristinum pietatis, & virtutis
 vestigium retinuisse, non illos esse Ecclesiasti-
 cos Principes, sed quouis barbaro magis pro-
 fanos, qui tam in omni vitiōrum flagitiorum-
 que genus propendeant, eoque pacem nullo
 pacto illis concedendam. Ad hæc Teutonici
 respondent, se ex maiorū dationibus & com-
 putu

putu benè subductis, deprehendere nullum
 tributum Moschouio deberi, quòd autem pa-
 cem denegat, id Romano Imperatori se que-
 sturos. Respondet Moschouius, quas illi que-
 relas Imperatori offerre instituant, qui man-
 datis eius Imperialibus, quibus præceperat,
 ne templa aut monasteria demolirentur, tam
 procaciter obstrepentes derogassent. His ità
 peractis legati discedūt ad padochium, equos
 instruunt, Moschouium Principem rogant,
 ducem itineris cōcedat, qui in Liuoniam eos
 reducat. Ceterum dati à Moschouio duces,
 per ambages ac deuia legatos fraudulenter cir-
 cunducunt, ità vt in patriam terram non re-
 uerterentur antè principium Quadragesimæ.
 Interea magnus Moschouia dux missa ad Li-
 uones epistola, bellum indicit. Nec multò
 post Epiphaniam anno 1558. trecentena mil-
 lia militum conscribit, atque in Liuoniam mit-
 tit, vt ferro & incēdio vniuersam prouinciam
 Torpatensem hostiliter vastent.

Moschouius ingentem exercitum longo
 tempore sustentare potest. Neque enim mili-
 tibus suis stipendia largitur, sed agros exiguo
 illis pretio elocat quo beneficio operam ipso-
 rum demeretur. Conscripti autem milites co-
 ram magno principe comparent, & nūmum,
 quem vocāt *eyn denninck*, æstimationis vnius

*Epistola h
 initio ope
 prefixa e
 ne ordo e
 series hist
 rie interr
 peretur.*

stufieri Brabantici Principi numerant. Reuersi ex bello eundem nummum repetunt. Occisorum autem numismata retinet Princeps atq; ita cognoscit interfectorum numerum. Hic igitur tam vastus & barbarus exercitus, octauo post Epiphaniam die Torpatensem diœcesin inuadit, duorumque miliarium latitudine incedentes omnia vastant, diripiunt, despoliant, deprædantur, ædes, & pagos, & cuncta obuia incendio, homines & pecudes gladio sustollere, iugulare, trucidare, euertere, sursum deorsumque omnia iactare, non ætati, non sexui parcere, nō gemitu, non luctu, non clamore & vlulatu pereuntium emolliri, omnia ibi cædibus, sanguine & incēdio inundare, conflagrare & conflagrare. Pueros infra annum decimum necant, qui intra decimum & vigesimum annum constituti, Tartaris velut mancipia venduntur: qui vigesimum superabant, vniuersi nulla miseratione trucidantur. Greges armenta & iumenta, quæ nec assumi nec abduci in Moschouia poterāt, vniuersa mactantur: pagos, vicos, ac domos priusquā incendio vastant, prædatoria manu despoliāt, omniaque vsibus suis accommoda diripiunt, ita vt ingentem frumentorum, pecorum, aliarumque rerum prædam aucherent. Quadraginta dies hanc tam immanem truculentiam

barba-

barbarus ille populus exercet, vniuersam Torpatensem prouinciam miserè & crudeliter fœdans, diripiēs ac deuastans, paucis arcibus & vna Torpatensi ciuitate exceptis, in qua quotquot erant vndique nihil præter flammam & fumum conspiciunt, luctu, clamore, & ciulatu, campi & siluæ reboant. Ac tantum aberat, vt Moschouij Liuones restituros metuerent, vt iuxta ipsam ciuitatem Torpatensem ædificia penè contigua succenderent.

Maximè autem Moschouius exercitus in Germanos sæuiebat, quos vbi deprehendissent, miserè & immaniter afflictabant. Viros brachijs truncant. Mulieribus vbera abscindunt, alios in frustra dissecant, & membra tremantia, huc illucq; disseminant. Crudele profectò & plusquam belluinum spectaculum. Heu cadit in quenquam tatum scelus? Igitur Moschouijs tam inhumaniter & supra omnem modum desæuientibus, & cuncta obuia depopulantibus, immensam nobilium & plebeiorum multitudo in ciuitatem Torpatensem cum vxoribus, liberis, & quas habebat facultatulis, veluti ad asylum confugiunt: non è vicinis dūtaxat pagis, sed qui vltra decem & viginthi miliaria debebāt, quorum omnium numerus exiguo temporis momento in tantā excreuit multitudinē, vt plateæ, cœmeteria, & pomæria vndique

vndique & ybique scaterent. Et cum ciuitas
 tam immēsam hominum copiam ambitu suo
 capere non posset, vltra decem millia cum
 mulieribus & liberis in fossas ciuitatis confu-
 giunt. Magna ibi calamitas & miseria conspi-
 citur, inopes, nudi & inermes sub dio passim
 sternuntur, cum gelu, glacie, frigore & niui-
 bus omnia horrerent, asperrima erat hyems
 & frigus intensissimum, vt plurimi intoleran-
 da frigoris asperitate & horrore stupentes
 enecarentur. Alij fame, siti & inedia consum-
 pti, vix ossibus hærentes, afflictam animam
 exhalant: Alij frigoris & inedia paulò patien-
 tiores, omni miseriarum genere cooperti, om-
 nibusque vite admiculis destituti, quoad pos-
 sunt ægrè vitam protrahunt: sed nec tantis æ-
 rumnis ac doloribus superatis, sperato potiù-
 tur effugio. Superueniens enim Moschouio-
 tum exercitus, in ipsas fossas, vbi infelix hæc
 plebecula duriter & misèrè latitabat, præcipi-
 tes ruunt, gladijs, lanceis, sagittis, omni-
 que armorum genere eos inuadunt, sauciant, iu-
 gulant, confodiunt, plagis & vulneribus op-
 plent, ibi noua calamitas, luctus, clamor, vlu-
 latus, miseriæ miserijs accumulatur. Oppi-
 dani tantam hostium vim ac truculentiam con-
 spicientes, metu & formidine præsentanei
 discriminis anxij, nullas ijs qui foris erant sup-
 petias

petias ferre audent, sed intra vallum & mœ-
 nia se continent. Quandò igitur prodire, &
 cominus cum hoste confluere formidant, tor-
 mentis & machinis bellicis instructis, glâdes
 & globos tormentarios in hostes iaculantur,
 ita vt Moschouij tandè à ciuitate recederent.
 Igitur prouincia Torpatensi funditus dena-
 stata, in ditionem Teutonici Magistri per ter-
 ritorium Leidensè proficiscuntur, ibidemque
 vti antea fecerant, vniuersa depopulantur, vt
 ne tugurium quidè vnum incolume perman-
 neret. Inde in ditionem Neruiensem, Teuto-
 nici quoque Magistri dominio subiectâ, pro-
 grediuntur, itidè omnia deprædantes & euer-
 tentes, vt res non belli, sed rapinæ potius &
 latrocinij speciem haberet. Ingressus erat ex-
 ercitus Liuoniam ea parte, qua Episcopus
 Torpatensis arcem habet Nyenhufen, rursum-
 que circa Quadragesimæ principium per ter-
 ritorium Neruiense ingentibus spolijs in Ru-
 teniam regrediuntur, quæ ab inuicem plus-
 quam quadraginta miliaribus distant. Interea
 per vniuersam illâ Liuonia prouinciam graf-
 santes, sedecim miliarium latitudinem pera-
 grarunt, nihil saluum & incolume relinquen-
 tes. Prima hæc fuit id temporis Moschouio-
 rum in Liuoniam irruptio, in qua nec Teuto-
 nicus magister nec Episcoporum vllus, hosti-
 libus

libus illorum vastationibus, rapinis & incendijs quidquam restiterunt.

Tanta clade accepta, vniuersi Liuoniæ proceres circa dominicam Oculi, in Quadragesima, in ciuitatē VVendensem cōueniunt, quid in rebus tam deploratis consilij captandum sit, consultant. Eodem tempore Torpatilingens ac terribilis cometa conspicitur, oblongo & formidabili radio vniuersis suspiciētibz horrorem incutiens. Proceres dum consilia inter se conferunt, principio discordare, alij conscribendum militem suadent, & post ferias Paschales finitima queq; Moschouiorum, ferro & incendio depopulanda, suorumque innoxium sanguinem pari crudelitate vindicandum, toties barbarum illum tyrannum, solum fugatumque à maioribus, non tantum virium aut roboris illi accessisse, quin & nunc vinci superariq; possit. Alij bellicas impensas & hostis potentiam considerantes, consulunt, sexaginta aut septuaginta dalerorum millia ad Magnum Moschouiaz Ducem mittenda, pacemque redimendam, iniustam, empramque pacem legitimo bello, hac tempestate præferendam, pecuniam eam haud multis magisue stipēdijs erogandis sufficere, qua non difficulter pacem sint impetraturi. Qua sentētia tandem communibus suffragijs

fragijs recepta, Teutonicus Magister ilico circa medium Quadragesimæ veredariū ad Moschouium Principem ablegat, petens quadrimestres inducias, & liberum accessum in Moschouiam pro firmanda pace. Moschouius petitas inducias, ceteraque omnia concedit. Igitur circa octauam Paschæ diem Teutonicus Magister quosdam deligit qui legationem ad Moschouiaz Principem obeāt. Itidem Episcopus Torpatensis suos legatos adornat. Et quoniam compertum habebat Moschouium Lutheranis, propter cognitam eorum in rebus nouis moliendis audaciam, plus satis infestum, destinat legationi perferendæ D. VVolfgangum Zager, Metropolitanæ Ecclesiæ Torpatensis Decanum virum antiqua pietate, doctrina, & virtute præstantem, qui & nouennio, publico Ecclesiastæ munere perfunctus erat, priusquam D. Philippus Olmen huius Historiæ spectator ad idem munus ascisceretur. Erat strenuus Catholicæ religionis vindex, & collegium cui præerat pro sua virili penē viginti annis optimè gubernarat, ita vt Lutheranae factionis sectatores eū Liuoniæ Papā appellarent. Verū quinquaginta Rutenicæ ditionis miliaribus emēsis, morbo correptus, vitā morte cōmutat. Erat præterea duobus à Torpato miliaribus

quidam equeſtris Ordinis vir, primæ apud
 Liuones nobilitatis, qui itidem cum familia
 & ſubditis in Catholica Religione perſtabat.
 Hic Decano in legatione perferenda adiun-
 gitur. Legati poſtquã ad Magnum Moſcho-
 uia Ducem perueniunt, pecuniam paci redi-
 mendæ deſtinatam adferentes, perturbatum
 inſeſtumq; Ducis animum comperiunt, nec
 vllam pacẽ vllãſue inducias impetrant. Cauſa
 hæc fuit. Habebat Teutonicus Magiſter op-
 pidum in Rutenorum confinio ſitum, cui no-
 men Neruia, atq; inibi arcem. Habebat quo-
 que Moſchouius Dux iuxta Neruiam illam
 oppidum, itidem Neruia appellatum, & ca-
 ſtro inſigni munitum. Hæc duo oppida aded
 erant confinia, vt vnò tantum fluuiolo inter-
 labente diſtinguerentur. Magiſtri ciuitas Ger-
 manica Neruia, Moſchouij Rutenica Neruia
 vocabatur. Ordinis Teutonicus Magiſter in
 ſua Neruia præter quendam Ordinis Com-
 mendatorem, qui ciuitatis præfectum age-
 bat, trecentos milites, & ceterum quinquagin-
 ta equites præſidij loco aduerſum Rutenos
 collocarat. Rebus Eccleſiaſticis tum in tem-
 plo tum in arce Lutheranum concionatorem
 præfecerat. Moſchouius Dux in ſua Neruia
 tria millia Rutenorum conſtituerat. Vbi qua-
 drimeſtrium illarum induciarum, de quibus
 paulò

paulò antè dictum eſt, vnus menſis præterijſ-
 ſet, & legati iam compluribus diebus in iti-
 nere fuiſſent, (diſtat enim Moſchus ciuitas à
 Torpato centum quinquaginta milliaria Ger-
 manica) contigit, vt Commendatoris mini-
 ſtri è turribus proſpicientes, viderent inge-
 tem Rutenorum turbam in Rutenica Neruia
 obambulantem. Illi conſeſtim ſeu proteruia
 ſeu largiore potu ſtipulante, duos colubros
 puluere tormentario grauant, in Rutenos
 dirigunt, & ferreas glandes in mediam tur-
 bam iaculantur. Ceteri Commendatoris mi-
 niſtri, & milites qui in vicinis propugnaculis
 & turribus præſidium agebant, pactas cum
 Rutenis inducias expiraſſe putabant, nec mo-
 ra grauatæ nitro inſtructiſque tormentis, cer-
 tatim eoſdem Rutenos creberrimis globis ac
 telis inuadunt, vt plurimi eorum occumbe-
 rent. Rutenis religio erat violare inducias,
 eoq; nullum in hoſtes telum extorquent,
 ſed conſeſtim emiſſarium ad Magnum Mo-
 ſchouia Principẽ ablegant, nuntiantes quàm
 perfidẽ, & iniquẽ Liuones pactas inducias
 rupiſſent, plurimoſque Rutenorum nullo
 bello legitimẽ denunciato, præter omnium
 opinionem telis & globis tormentarijs hoſti-
 liter inuaſiſſent, & miſerẽ traieciſſent. Hoc
 nuntium eodem tempore quo Liuonum le-

gati Moschum peruenerāt, ad Magnum Ducem perfertur. Legati huius tempestatis ignari ad principem accedunt de pace tractaturi. Princeps recēti suorum clade & Liouonum scelere nuntiato commotus, indignabundus exprobrat legatis, quā perfidē Neruienses inducias violauerint, Rutenos cōtra ius & fas ex inopinato oppetiuerint, obruerint, interfecerint, impiam esse doctrinam, quam paucis ab annis susceperint, priori religione profligata, omnem illos virtutem, fidem, cōstantiam, pudorem simul exuisse. Minatur insuper se tam insignem perfidiam ferro & flāma seuerē vindicaturum, frustra cum illis de pace tractari, quorum animus rapinis, libidini- bus, omnibusque flagitiorum generibus turpissimē sit delibutus. Ad suos redeant, pecuniā Magistro referant, se paulō pōst secuturū.

Legatis in Liouoniam reuersis, magnus Mochouia Dux ingentem exercitum cum prægrandibus bombardis & machinis Neruiam Germanicā versus mittit, ciuitatem obsidet, armato milite & tormentis muros inuadit. Octauo obsidionis die, ignem in ciuitatem iaculantur. Ignis nutrimentum nactus, continuō inualefcens, totam per urbem grassatur, ipsasque portas comburens, hostibus ingressum patefacit. Ruteni patefacto aditu, in ciui-

ciuitatem irruunt, omnia depopulantes, Oppidani cum auxiliarijs in arcem confugiunt, sed paulō pōst comēatu distituti, Præfectus seu Commendator deditiōnem facit, hac conditione vt ipsi cum omnibus Germanis militibus liberum abitum concedant. Hoc impetrato, castrum Rutenis deditur. Commendator cum suis militibus, omnibus, quas auferre sperauerant, facultatibus exuti, dimittuntur. Ciues in ius & imperium Magni Ducis concedunt, ei que sacramento se obstringunt. Expugnata Neruia, Moschouiorum exercitus arces, pagos, vicos, domos ac villas vndique quindecim miliarium latitudine circūiacentes diripit, & vastat. Noua ibi calamitas, noua ærumna & lamentatio exoritur, factumque itā vt quotquot ibi agricolæ Teutonico Magistro antea parebant, nunc ab eo desciscētes, in Moschouij Ducis iurisdictionem & imperium concederent. Direpto igitur & vastato Neruiensi territorio, circa natalem Baptistæ Rutenicus exercitus in prouinciam Torpatensem progreditur, ac tertio, post Baptistæ natalem die, primariam Episcopi Torpatensis arcem, cui nomen Nienhuys, octodecim à Torpato milliaribus distantem, obsidet. Rutenorum non pauciores erant, octoginta millibus. His adiuncta

erant aenea tormenta plurima & maxima. Priusquam huius arcis expugnationem referamus, memorabile facinus, quod olim in ea contigisse ferunt, interponemus, ut animus ab his bellicis tumultibus, caedibus & incendijs paulisper respiceret. Oppugnauit olim hoc castrum magnus Moschouia Dux, Anno 1381. cui oppugnationi ipse intererat vna cum trecentenis militum millibus. Ac tandem post diutinam & pertinacem obsidionem & crebras irruptiones, moenia & propugnacula labefacere inceperant, obsessi cum hostium assaultum diu sustinuisent, tandem solis viribus humanis diffisi, diuini numinis clementiam & auxilium quotidianis ardentibusque votis exposcunt. Praefectus ut in bellicis rebus reliquis praestabat, ita hoc quoque in negotio, ceteris feruentior erat. Igitur quadam nocte veneris diem proximè antecedente, in somnis peruigilat, ante aram quandam prosternitur, orat, ut in tam deplorato rerum statu Deus apparere dignetur, felicemque tam grauis obsidionis liberationem elargiri. Exorto sole, cum Ruteni certam iam arcis expugnationem sibi promitterent, exurgit è precibus suis praefectus, acceptoque arcu, telum ferrea acuminataque cuspide in Dei nomine in medium Rutenorum exercitum è fenestra

emittit.

emittit. Fauent conatibus superi, volat missile ferrum, & ipsius Moschouij principis cor transfigit. Concurrent trepidi comites, dominumque ruentem suscipiunt. Ille manu moriens, telum trahit, ossa sed inter ferreus ad costas alto stat vulnere mucro. Ruteni magno cum ululatu Principis, & Imperatoris sui tam funestum & luctuosum casum deplorant, arreptumque funus in Moschouiam perferunt. Liuones hoc mirabili memorabilique modo liberati, arcum perpetui trophæi loco in basilica, quæ ibidem in castro extracta erat, ad altare suspendunt. Solebat in eo templo cultus diuinus quondam magna pietate ac deuotione peragi: nunc verò Lutheranis dogmatibus receptis, nullum pristinae pietatis vestigium conspiciebatur. Arcum ibidem suspensum, vidit venerandus vir D. Philippus Olmèn, quondam Metropolitanae Ecclesiae Torpatensis stipendiarius Canonicus, nunc Ecclesiastes Ressensis.

Teutonicus Magister cognita arcis Nienhusen obsidione, duo Germanorum equitum millia adducit, & vna cum Episcopo Torpatensi, qui trecentos habebat equites (equester enim ordo Rutenica depopulatione opibus fortunisque omnibus exutus erat) obsessis auxilia ferre meditatur. Vbi sex adhuc mi-

F 3

liaribus

liaribus à Rutenico exercitu abessent, propè castrum Episcopi Torpatensis cui nomen Kieriepe, sua tentoria figunt, ibidemque ad dies viginti quattuor morantes, omne tempus quieti & luxuriæ concedunt. Obsessi, quum prætèr paucos accolas qui in arcem confluerant, & sexaginta præsidarios milites, nulla haberent auxilia, diutina obsidione fatigati, nullaque suppetiarum spe affulgente, & rebus accisis deditiorem faciunt, ea conditione ut ipsi cum fœmineo comitatu securi abscedant. Ceterùm duo miliaria progressi, in aliud Rutenorum agmen incidunt, qui raptis virginibus & fœminis, illos nudos, omnique argento spoliatos dimittunt Teutonicus Magister deditiorem factam intelligens, ira simul ac dolore exacerbatus, Castrum Episcopi Torpatensis Kieriepe igne succendit, Præclarum hoc fuisset & gloria dignum, si facinus illud in hostem designasset. Expugnata igitur arce Nyenhufen, & præsidio munita, Dux exercitus Rutenici cum vniuerso agmine ad Teutonicum Magistrum pergit, prælium cum eo committere constituens. Magister re intellecta, ocyus fuga arrepta, desertoque Episcopo, à Torpatensi prouincia penè ad viginti quinque miliaria secedit. Ruteni equites numero triginta millia per-

gunt

pergunt in Torpatensem prouinciam, obuios quosque Germanos trucidant, alios plebei ordinis homines, quotquot parati erant, magno Moschouix Duci subijci, illi parère & iureiurando obstringi, hos in gratiam recipiunt. Imperator Rutenorum, quoniam ipse bello non intererat, præfecerat exercitui Ducem quendam Moschouium, cui nomen Petro Sifegaleider, à septem Triremibus Galeaceis, quibus in mari præfuerat, & piraticam exercuerat, ita appellatus. Hic cum vniuerso exercitu, videlicet, quattuor agminibus Rutenorum seu Moschouiorum, vno Tartarorum quorum erant triginta millia, & altero tormentariorum seu sclopetariorum qui duodecim millia constituebant, machinis quoque & tormentis areis prægrandibus, tanto, inquam, cum exercitu, ad obsidendum Torpatum progreditur. Interea quosdam Germanos deprehendens, viros brachijs truncat, fœminis vbera & nates abscondit, hos tam miserè & crudeliter deformatos, Torpatum præmittit, denuntiat ut ciuitatem dedant, in Moschouij principis imperium concedant, nisi faciant, omnes eadem & grauiori pœna plectendos. Rutenicus exercitus sex miliaribus à Torpato castrametatur. Vniuersus militum numerus, ut ferebatur, trecetena millia constitue-

F 4 bat.

*Sise Ruten
lingua sept
sonat.*

bat. Ciues Torpatenses & reliqui equestris Ordinis, cognita obsidione, Cathedralē Ecclesiam claudunt, præcipientes ne quisquam Missæ sacrum in ea peragat, præuariantibus extremum supplicium interminantur. Ingens sanè & horrenda populi cæcitas dicamne an impietas in tam præsentaneo discrimine, rebus ità nutantibus, hostico exercitu muris imminente, nec vlla humana ope vllam salutis spem promittente, diuina præsidia tam profanè aspernari, ridere & execrari.

Interea dum hostes sex miliarium interuallo castra metantur, quotidie sex aut septem Rutenorum vexilla ad urbem emicant. Cellarius Torpatensis, cum quibusdam consiliarijs & nobilibus, Episcopum accedunt, simulant se vrbe egressuros, & cominus cum hoste conflicturos. Illi portis emissi, deserto Episcopo, derelicta ciuitate, perfidi & profugi Rigam omni celeritate se recipiunt. Eam patriæ, parentibus, amicis, conciuibus, aris & focus fidem præstare, ex Lutherana fide didicerant. Ciuium quoque bona pars, opes & merces suas Rigam & Riualiam miserant, & paulatim ex vrbe secesserunt. Morbo etià à Pascha ad Pêtecosten grassante, plurimi sublati erant, vt pauci admodum, qui urbem defenserent, superessent. Hi erant Cathedralis Ecclesiæ

Cano-

Canonici & Sacerdotes, cū Episcopo & paucis nobilibus, & plerisque qui in Catholica religione perseuerantes, intra immunitatem (vt vocant) Ecclesiæ Cathedralis habitabant: neque enim senatus aut ciues vllum in ciuitate tolerabant, qui religionem Catholicam non abiurabat. Septima mensis Iulij Centurio quidam Groningensis cum sexaginta militibus Torpatum venit, ab Episcopo in præsidium suscipitur, inde ex opificibus & plebeis adhuc centum alleguntur. Vndecimo Iulij Rutenicus exercitus, Torpatum ad obsidendam urbem pergit. Tunc omnium Torpatensium animos ingens metus & formido inuadit, vt quid inceptare, quid moliri deberent, dubij, anxij & trepidi rerum, haud satis definire possent. Canonici assumpto Duce Groningensi & plerisque nobilibus, in ciuitatem ad forum descendunt, hortantur & obsecrant ciues, vt resumptis animis, viriliter hostium impetum sustineant, se, vxores, liberos & patriam, aduersus hæreditarium Christiani nominis hostem fortiter & fideliter turentur, faciliè hostes posse propulsari, si vnanimis, concordibus animis & armis, pro aris & focus dimicent. Ad hæc Consul. Si Episcopus Hermannus & Canonici Romano pontifici renuntient, papisticas superstitiones aboleant,

F 5

& Lu-

& Lutheranum Euangelium amplectantur, velle ipsos ciuitatem serio & viriliter tueri. Respondet Canonici graue hoc & exitiosum tum sibi, tum ipsis futurum, quandoquidem animaduertant post assumptam Lutheri doctrinam omnia illis aduersa fuisse, nunquam tantam à Moschouio cladem accepisse, quantum post religionis mutationem pertulerint. Tandem Satrapa pronuntiat, vt quilibet sua in fide ac religione permaneat, nunc non de fide, sed pro patria, parētibus & liberis decertandum. Illud consilium cū omnibus probaretur, sacramentum præstant, nunquam se Rutenis urbem dedituros, sed ad extremum vsque halitum pro communi omnium salute fortiter dimicatuuros. Confestim tres ciuitatis portas muro obstruunt, ænea tormenta in turribus & propugnaculis collocant, ipsi vndiquaque in mœnibus & speculis præsidia & excubias agitare. Vndecima Iulij die quæ in feriam secundam incidit, manè ante solis exitum, speculatores vniuersum Moschouiorum & Tartarorum agmen urbem obsidere comperiunt. Castra ante portam sanctæ Andree ad Orientem fecerant, eaque vallo muniuerant. Densissimæ erant ea nocte tenebræ, ac tametsi sol tertia hora matutina exoriretur, tamen propter nebulam mirè spissam

parum

parum aut nihil prospici poterat. Torpatenses obsidione cognita, æneas glandes & tormentarios globos ea parte qua strepitum audiebant, eiaculantur, sed neque in quenquam collimare, aut quid proficerent, scire dabatur. Scolopetarij seu sagittarij sexaginta quotidie bis ex vrbe emicant, & leui pugna Rutenos adoriuntur: sed quoniam rari erant, parum efficiebant. Nebulæ densitas per Lunæ, & Martis, & Mercurij diem continenter durabat, vt vix paucis passibus prospicerent, certoque pateret, obsidionem illam à Deo ex certo vindicandi proposito permissam. Mercurij die equites Torpatenses omnes, hi erant circiter sexaginta, denuò ad Rutenos procedunt, & leui prælio confligunt, multos æneis & plumbeis glandibus trajiciunt. Speculatores quoque & qui in turribus præsidium agebant, tormentarios globos in Rutenicum agmen iaculantur, tanta vi & copia, vt velut flammis & incendio ciuitas septa videretur. Equites cū ad horas duas acriter cum Rutenis dimicassent, & hostibus vndique accurretibus nimis essent impares, in urbem se recipiunt, vno duntaxat suorum amisso, equis verò sagittis ac telis Rutenicis grauiter vulneratis. Ferebatur tunc in vrbe, aliquot Moschouiorum millia grauioribus tormentis interfe-

interfecta, conspiciabantur quoque passim equi deiectis fessoribus circumquaq; procurrentes. Feria quinta Moschouij machinas ac tormenta sua instruunt, non tamen in mœnia ipsa dirigunt, sed in altum leuant, vt globi, (quos vix duo lecti viri eleuassent) in ædium tecta prociderēt, quorum pondere parietes, tecta ac ligna collisa ac diruta, pueros, fœminas, passimque omnes inquillinos repente præter expectationem opprimebant. Tantus erat ea die ac nocte intus & foris bellicarum machinarum fragor ac sonitus, vt vix alter alterius sermonem exaudiret.

Ruteni proxima nocte quæ Veneris diem antecedebat, ad portam D. Andrea, fossam ingentem sub mœnib. fodiunt, & sex vasa pulueris tormentarij substituunt, vt vi pulueris eam mœniorum partē disrumpere, & subuerterent. Sequenti die circa horam nonam matutinam, denuo Ruteni terribili tormentorum fragore oppidanos inuadunt. Femine tum natura, tum præsentaneo discrimine pauidæ, luctu, lacrymis & eiulatu omnia complent. Quam tam miserabilem miseriam, Cōsules vndiq; conspicientes, ad Cathedralem Ecclesiam ascendunt, deploratum ciuitatis statum Episcopo exponunt, deditioem se facturos aiunt, quoniam tantam suorum cala-

mitatem, luctum & ærumnā vlteriùs coram videre ac sustinere nullo modo queant. Episcopus monet, vt meminerint deditioem sempiternæ ipsis turpidini & ignominia futuram, deinde perspectam illos habere Moschouiorum & barbariem & tyrannidem, fidemque ac religionē in Deum ac Diuos blasphemam, tum ab vniuersa Ecclesia totoque terrarum orbe dissentaneam. Expendant, ne pecudes quidē à Christianis tam immaniter tractari, vt homines à Moschouijs. Considerent quantā truculentiam & plusquam ferinam barbariem in virgines & fœminas Christianas exercuerint. Eadem & grauiora, fortassis ipsis imminere, si spōtē tam crudelis domini iugum intolerabile subeant. In hanc sententiam cum ad perseverantiam hortaretur Episcopus, nihiloseciùs pertinaciter deditioem vrget Senatus, quo factum, vt ingēs dissentio in vrbe exoriretur. Nec multò post eodem die circa horam duodecimam legatū ad Moschouij exercitus Ducem mittunt, supplices rogant, vt ab obsidione desistat, paratos se fore, si vitā & facultates saluas ipsis promittat, Pontifici & Imperio Romano renūtiare, & præstito Sacramento in ius & Imperiū magni Moscouiæ Ducis concedere, ac deditioem facere. Exercitus Rutenici Dux accepta legatio-

legatione, certam pacem illis repromittit, si propositas conditiones inire velint. Hoc responso solidè gauisus Senatus, duos ex Senatoribus ad Ducem ablegat, qui omnium nomine iurandum præstent. Ea fama ubi per urbem diuulgatur, ingens tumultus & seditio exoritur. Militum præfectus cum sua cohorte, & Cathedralibus Canonicis, reliquisque Catholicis, nullo pacto ad sacramentum Moschouio Principi præstandum induci sustinent, sed nec deditioem facere, verùm armis, vita, & sanguine auitam Religionem, libertatem, & patriam vindicari parati sunt, impiamque & nefariam Senatus defectionem grauius redarguunt, qui nuper à Catholicismo ad Lutheranismum, à Lutheranismoad Moschouiticam barbariem & atheismum perfidè & nefariè descuerit: salua esse adhuc mœnia, comineatum prælargum ac sufficientem, prædiarios tamen nō ita multos, tot tamen ac tales, qui & urbem protegere ac defendere possint, eaq; fortitudine animiq; præstantia præditos, ut vitam prius & spiritum, quam urbem & libertatem amittere velint. Senatus nihil à proposito declinans, & fidem & religionem, cunctaq; vitæ posthabenda arbitrat. Atque ut culpæ ac defectionis socium haberet. Episcopum cuius inconstantiam

explora-

exploratam habebat, accedit, ipsumque ad arcis cuiusdam & abbatie Valkena deditioem inducit. Milites, qui centum sexaginta erant, & quadraginta Cathedralis Ecclesie Cantores, & Canonici, hac defectione nequidquam à pristina constantia dimouentur, sed mutuam fidem ac tutelam inuicem stipulantur & promittunt, sanguinem prius profunderè, quam patriam prodere, auitamque religionem abiurare, statuunt. Hæc feria sexta contingebant. Postero die Moschouij exercitus Dux, cognita oppidanorum dissentione, ut urbe potirentur & obsidionem cōficeret, nuntiat obsessis, neminem se coacturum ut abnegato Imperio Romano, in magni Moschoujæ Ducis ius & Imperium sese dedat. Urbe se vel volentibus, vel inuitis oppidanis omnino potiri velle. Qui Moschouio Duci sese dedere ac iurandum præstare derectent, illis liberum fore, ut per vniuersum Rutenorum exercitum securè in Germaniam secedant, Qui verò parati sint in Moschouij Principis Imperium concedere, illis vitam & facultates saluas fore. Ceteris qui neutrum horum faciant, extrema minatur. Ad sequentem Lunæ diem circa 7. matutinam portas apertas fore, interea delibent, & quid facturi sint constituent.

Milites

Milites præfidiarij cum Cathedralib. nihilo
secius armati duas subsequentes noctes per-
vigiles ducunt, quandoquidem & Senatū
cum ciuib. & Moschouios aduersos habebāt.
Interea plerique nobiles, ciues, & fœmina
Catholicismi reliquis paulò obseruantiores,
ad Cathedrales concedunt, & voluntarium
exilium vnà cum ipsis eligunt, atque ita nu-
merus secendèuū excreuit in 200. armatos,
& 200. fœminas ac virgines. Die Lunæ portis
adapertis, egrediuntur Catholici, quos Rute-
nici exercitus Dux, per vniuersum agmen iu-
xta datam fidem, dimittit. Ingens ibi luctus
& eiulatus exoritur, maritus ab vxore diuel-
litur, fratrem soror deserit, liberi à parentib.
cognati à propinquis secedunt. Alij senio,
morbo, alioue incommodo grauati tam lon-
ginquum, ignotum, plenumque discriminis
iter suscipere nequeunt, alij bonorum facul-
tatumque appetentiores, Pontifici & Imperio
Romano renuntiant, & Moschouij principis
iugum subeunt, Catholici vrbe, patria, ac do-
mo profugi, omnib. derelictis, plurimę etiam
matres prolib. onustæ Riualiam cõtendunt.
Dum per Rutenicum exercitum gradiuntur,
Tartari quorum erant triginta millia, Liuo-
nes inuadere parāt, eos in prædam sibi datos
asserentes, arcus instruūt, & nouo eos inspe-
ratoque

ratōque prælio appetere institunt. Fœmineus
cœtus præsentaneū periculū cōspiciens, pro-
tinus in clamorem & eiulatū, vt fit, soluitur.
Ceterū Deus mirificè eos tutatur. Clarū erat
& serenum cœlum, nec à viginti dieb. pluerat,
nec octidid. post pluebat. Nihilo secius in
tanta serenitate, ingēs ac formidabile tonitru
in mediū Tartarorū agmen quinquies
immititur, tanto fragore ac sonitu, vt terra
commoueretur. Tartari quoque instar pul-
ueris, huc illucque dispergebantur. Nec mul-
tò post Moschouij exercitus Dux lituo quem
gerebat, designat, vt liberè dimittant Liuo-
nes, indicat præterea per interpretem, dedu-
cendos eos securè per media castra & vniuer-
sum exercitum, ingentemque equitum cohortem
ipsis adiungit, quos securius euadant. In
ipso progressu plerique ob æstus vehemen-
tiam, & pulueris, quem equitatus ille concitabat,
densitatem, languidū & emortui misera-
biliter concidebant. Moschouij agminis
Dux præfens huic ductui cum aliquot equi-
tum millib. intererat, vinctumque habebat
Episcopum, quem ad abbatiam Valkenaden-
sem ducebat, ibidemque carceri mancipabat.
Eò vbi ventum, dimittit Liuones. Illi paulu-
lum progressi noni discriminis, triste nūcium
accipiunt. Monetur enim ab agricolis, latere

à duobus miliaribus octo Tartarorum mil-
lia, quibus Liuones vniuersi prædæ ac dire-
ptioni dediti sint, vitæ quoque ac necis pote-
tatem in ipsos habeant. Idem secretò præ-
monuerant eos quidam Torpatensium, qui
præstito iureiurando in Moschouij Ducis im-
perium concesserant. Liuones principio con-
flictum meditantur, postea re penitiùs confi-
derata, duos agricolæ cõducunt, qui eos am-
bitu quodam per nemorosa & palustria loca,
quo Tartarorum equitatus penetrare nequi-
bat, triduo circumducunt, inde post quinti-
dium Riualiam perueniunt, vbi singuli na-
uibus conscensis, salutem ac prosperitatem
sibi inuicem precantes, quo animus
voluntas & consilium ferebat,
contendunt.

BRE.

BREVIS, PERSPICVA
ET VERA NARRATIO PRÆ-

lij commissi inter Moschouitas & Litua-
nos, An. 1564. 26. Ianuarij.



Causa belli inter Regem Poloniae,
magnumque Moschouij ducem, inde
originè traxit, quod Rex Poloniae
afflictæ Lituaniæ contra crudelita-
tem Ducis Moschouiae openi tulerit. Bellum
primus indixit Dux Moschouiae, quo facto,
varijs in locis vtrinque copiae collectæ fuere.
Proinde Duci Moschouij locum conuenien-
di militibus Polotske indicere placuit. Erat
ibidem Praefectus vulgo dictus Suirski, Du-
ci Moschouiae propter suam in bellis gerendis
felicitatem, peculiatemque industriam charis-
simus, ut qui antea omnem cladem Liuoniae
intrulerat. Hic à Principe Moschouitarum
totius belli supremus Dux declaratus
erat, qua de causa omnes passim conscriptæ
copiae Polotskam mittebantur, ut huius au-
spicijs militarent. Iisdem quoque temporibus
Litvani habitantes in finibus Moschouiae, &
qui Regi Poloniae parent suum exercitum
die quinta instaurant, Polonorumque copias
subsidiarias expectant. Ceterum cum iam Po-
lotskæ congregati essent non pauci Moscho-

G 2 uita,

uitæ, Ductori exercitus Moschouitici proficiscendi tempus adesse visum est. Itaque Ianuarij 23. collectis suis in vnum copijs ad arcem dominæ Palatinæ Virefski pergere cœpit. Ab hac septem milliariibus situm est oppidum quod Loikoulpia dicitur, vbi à Lituaniis conscriptus exercitus Polonorum aduentum præstolabatur. Huius exercitus salutaris erat Imperator generosus admodum vir Nicolaus Radzuwil Palatinus de Trocka, qui vbi intellexit Moschouitas ad illam cuius supra mentionem fecimus, dominæ arcem iter habere, copias suos celeriter eo ducit, hostisque consilium nititur impedire. Arci adiacentem planities, qualem ad prælium committendum peritus rei militaris Dux requireret: huius æquioris partem præoccuparant Moschouitæ, ita tamen vt aduersarijs satis ad instruendam aciem spacij relictum fuerit. In hac planicie vterque exercitus 26. Ianuarij confedit. Et quamuis Lituani postèrius eam relicta silua adierint, tamè ipsi à Moschouitis tantum temporis concessum est, vt & aciem instruere, & omnia prius quam confli gerent necessaria disponere, potuerint. Erant autem in exercitu Moschouitico 20000. millia selectissimorum militum, ex quibus non pauci sclopettis instructi conspiciebantur: Lituano-

rum

norum contra exercitus vt numero hosti impar, ita tormētis, omnino fere destitutus erat. Copijs vtrinque in loco patenti sic ordinatis inuocato prius. (pro consuetudine) illius qui exercituum Deus est auxilio, magnis animis prælium inchoatum est. Quantaque animi alacritate primum hostium impetum exceperint Moschouij, abundè Lituanoꝝ vulneratorum testatur numerus, attamen nihil remittentes collectis viribus primùm Moschouiorum aciem, admirabili virtute ac dextertate, & quasi herculeo robore dissiparunt; quod cernentes reliqui omnè victoriæ spem deijcientes in fugam non secus ac fulmine acti conijciuntur: hos Lituani vehemènti pugnæ ardore atque ira accensi, multumque tam felici exordio confirmati ad quintum vsque milliare fugientes pertinacissimè persecuti sunt, ita vt infinitis cadaueribus omne illud itineris spacium opertum stratumque appareret, siquidem paulò plus minus 9000. viroꝝ tum fuga tum gladio cecidisse creduntur. Inter cadauera autem repertus est Imperatoris Moschouitici gladius & pharetra, quæ postea ad Palatinum Radzuwil nõ sine ipsius iussu delata sunt; ipse quoque Dux Suerski cui caput sclopetti globulo transfixum erat mortuus in puteo inuentus. Huius etiam

G 3 collega

collega Plie Zeiare, pluresque alij nobiles & primates viri, summæ in aula Moschouitarum auctoritatis victoriam hanc sua captiuitate illustrarunt. His adde quinquies mille curros, cibus, vestibibus, pellibus, cyphis & poculis argenteis nec non armis, & omnis generis instrumentis bellicis onustos, qui à fugientibus relictis, Lituanis in prædam cesserunt, singulosque quasi diuinitus coronatos ob egregiam, omniq; memoria, laude ac prædicatione dignissimam hoc in prælio exhibitam fortitudinem ditarunt. Illud autem admiratione dignissimum, ac non sine peculiari Dei Opt. Max. auxilio contigisse fatendum est, non plures viginti ex Lituanis periisse: ex cohorte tamen principis de Solomar ultra sexcentos vulneratos fuisse constat. Moschouitis longè aliter hoc prælium cessit, nam præterquam quod magna suorum parte cæsa miserabilem ac infelicem eum diem haberint, funestum etiam eum plurium nobilium casus aduersus reddidit. Siquidè de cohorte prima Ifan Faskiolowitz Sirmetziere, de magna cohorte Princeps Piolter Zwainowitz, Suitski Polotskæ præfectus, de sexta cohorte Princeps Simon Demitrowitz Polwitzki occisi fuere. Capti Zacharias Ifariobitz, Plies Zurziot, Princeps Zwan Peotrowitz

Ochli-

Ochliabin, VVoiamia Schonim Retzauski, Michiſtha Bondaraw. Princeps Fredor Zwainowitz Tadiauw ab eo tẽpore apparere destitit, Vnus Simon VVaskiolowitz Zaekales sibi fuga consuluit. Ex his patet Ducem Moschouix præstantissimos suos duces, præfectosque militares hoc conflictu amisisse. Et hoc nomine magis prædicanda Lituanoꝝ solertia & fortitudo quod proprijs freti viribus absq; Polonoꝝ auxilijs hostem tam potentem primo ipso congressu tantopere debilitarint, meritoq; Nicolaus Radzuwil cù filio Christophoro propter strenuam hoc in prælio nauatam operam æternam nominis sui gloriam adeptus est, quod eius virtute tanquam singulari instrumento Deus gloriosissimus Moscouiticam superbiã punire dignatus sit. Breuis hæc & succincta prælij narratio sumpta est ex litteris quę postredie post commissam pugna Regi Polonię agenti VVarscouię missę sunt, quę eum tanta affectere læticia, vt relictã aduersã qua laborabat valetudine, pristinae sanitati restitutus videretur, ita gaudium de bene gesta animo conceptum, dolores corporis superabat. Ne igitur indignus tanta felicitate iudicari posset pro innata sua erga Deum Opt. Maximum pietate publicas illi gratias agi, ac maxima cum deuotione to-

G 4

tius

tius VVarfcouienſis Eccleſiæ hymnum lon-
gè celeberrimum ac nobiliſſimum Chriſtia-
no more cantari, curauit; Te Deum lauda-
mus. Omnibus profectò victoribus egregiū,
ſemperq; animo agitandum exemplar, ex quo
diſcant non ſibi, ſed Deo omnipotenti vi-
ctorias aſcribere.

DE SECUNDA MOSCHOVITARVM

CLADE ET FUGA.



Ommiſſo vt diximus vlenſi prælio
Litvani Deſchā profecti ſunt, illic
Polonos expectaturi. Eo eū die 7.
Februarij veniſſet, ſtatim illis inno-
tuit nō procul illinc ſexaginta millia Moſcho-
uitarum caſtra habere. Mittitur igitur à Ni-
colao Radzuwil Magiſter quidam equitum
cui nomen erat Phila, eū quadringentis equi-
tibus vt de hoſtibus & eorum caſtris explora-
ret. Dum hæc Phila peragit, alias à ſuo Imp-
eratore litteras accipit, quibus iubetur, hoſti
inſultare, maledicere atque ijs quibus ſolèt
fieri modis ad pugnam illicere, & irritato nō
reſiſtere ſed fugam ſimulādo auidius ſequen-
tem à ſuis auellere, atq; hoc modo ſocijs oc-
ciden-

cidendum tradere, ſperans hanc optimam no-
ui prælij occaſionem futuram. Verum Duci
ex votis res non ſucceſſit, ſiquidem nuntio in
itinere intercepto litteris lectis hoſtibus con-
ſilium innotuit: qui ſædo perculſi timore, nō
longa habita deliberatione, curros quorum
7000. fuere ſubiectis ignibus accendunt ſe-
ſeque in fugam conijciunt.

Dum hæc gererentur, erant in itinere Li-
tuani, vixque duorum miliariorum ſpatio ab
eis diſtabant cum ex orientes flammas conſpi-
cerent: quo cognito accelerāt, & ex curribus
ſeptingētos à flammis vindicant. Moſchoui-
tē interim perniciōſiſſimè fugiebāt, ita vt ma-
iora itinera fugiendo, quàm Litvani ſequen-
do conficerent; extremi tamen agminis ali-
quos, minusque in fugiendo celeres aut ce-
perunt aut occiderūt. Inter captiuos 30. Tar-
tari eſſe referuntur. Ceterum in via à fugien-
tibus Moſchouitis relictī tot gladij, pharetrę,
arcus, ſagittę, lanceę, & tormenta manuarīa
alięque res plurimę vt inſequentibus impe-
dimento eſſent. Fuit tanta fugiētis hoſtis ve-
locitas vt vnus diei naturalis ſpacio plura vl-
tra Borithenem milliaria abſoluērit, & Sma-
lenſcam vſque peruenerit. Redeuntibus autē
Lituanis obuius fit vir magni inter Moſcho-
uios nominis cum Regijs ad exercitum litte-
ris, hic

ris, hic visis Lituanis litteras in minutissimas
 particulas decerpit, fugamque cum quattuor
 sibi adiunctis equitibus capellit, hoc modo Li-
 tuani hostem secunda vice profligarunt. Mo-
 schovita autem vbi hæc cognouit animo an-
 xius, quò Lituanos ab ingressu suæ regionis
 prohiberer, oppida & pagos, ac cuncta quæ
 septem miliarium circuitu complectebantur,
 flammis absument. Quo tamen nihil obstante,
 non procul à Smalensca esse feruntur. Faxit
 ille cui vincere facilè est vt iustior pars fe-
 licem referat de hostibus victoriam, &
 contempto inimicorum Insano fu-
 rore ecclesia longa, felicique
 pace lætetur.

CAN-

CANDIDO LECTORI
 PHILIPPVS OLMEN ECCLE-

siastes Ressensis. S.



Queris candide Lector me
 superioribus annis hæc su-
 pra scripta omnia meis ocu-
 lis nõ sine magno meo do-
 lore coram spectasse, ma-
 gnamque istius calamitatis partem meū
 in caput redundasse, pauca etiam ex fi-
 de dignorum virorum relatu cognouis-
 se. Integro enim septennio in Metro-
 politana Ecclesia Torpatensi munere
 concionatorio functus sum, & stipen-
 diariorum (vt vocant) numero asscri-
 ptus fui. Quæ sanè calamitas, & fune-
 sta tam florentis prouinciæ euersio, vt
 grauis fuit & miserabilis, ità dignam
 iudicauit, quæ vniuerso orbi commu-
 nicaretur. Quoniam autem mihi pro-
 pter quotidianas occupationes hanc
 historiam conscribere neuitquam in-
 tegrum fuit, ornatissimum virum M.

Tilman-

42
 Tilmannum Bredebachium, cuius fi-
 dem & ingenium exploratum habe-
 bam, precibus induxi, ut hoc negotium
 susciperet, sperans utriusque operam
 tibi non ingrati fore. Hoc igitur
 utriusque labore beni-
 gnè utere, fruiere
 & vale.

Tenor

(Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page)

Tenor Priuilegij.



*Autum est Regijs litteris ne
 quis hanc belli Liuonici Hi-
 storiã præter Gulielmũ Sil-
 uium suã Maiest. Typographum, typis
 excudat, aut alibi excusam in suã Ma-
 iest. ditionibus, venum proponat sub
 graui multa, sicuti latius patet ex Pri-
 uilegio dato Bruxelles, 29. May.*

Signatum

vanden Wouwere.

Tenor Privilegij

Admum est Regis litteris ne
quis hanc belli Invenit Hi-
storia prater Gulielmum fil-
ium suum Mich. Typographum
excudit aut alibi excusum in sua Ma-
jesta. di. omnibus, verum proponat sub
gravi multa. scilicet latius patet ex Pri-
vilegio dato Bruxellis, 29. May.

Signatum

Wendel Wouwe.



601 v. 25. Herbar. Marten. 1854

601 v. 18. Herbar. Marten. 1854

601 v. 23. Herbar. Marten. 1854

601 v. 19. Herbar. Marten. 1854

2. Herbar. Marten.

601 v. 17. Herbar. Marten. 1854

Herbar. Marten. 1854

Herbar. Marten. 1854

7. 20. die. Herbar. Marten. 1854

24. die. Herbar. Marten.

601 v. 15. Herbar. Marten. 1854

601 v. 16. Herbar. Marten. 1854

et. Herbar. Marten.

601 v. 15. Herbar. Marten. 1854

die. Herbar. Marten. 1854

Herbar. Marten. 1854

Herbar. Marten.

REst.

A-10688

6419